Connexa sunt ea, quorum unum determinari, seu haberi non potest sine altero, ut creatura et creator. Creatura enim sine creatore esse non potest.

Connexive, V. Entitative et Formaliter 4. **Connotare** aliquid est illud innuere, seu indigitare, unde

Connotata sunt innuta, seu indigitata ab aliquo termino; sicque termini relativi sunt sibi mutuo connotantes et connotati. Pater enim innuit filium, filius patrem.

Connotative, V. Subjective 3.

Connotativum nomen est quod ut perfecte significet et intelligatur, aliud connotat, ut pater filium.

Contactus *suppositi* dicitur cum agens immediate, per suam entitatem, conjunctum est passivo; ut Deus omni rei creatae in quam agit. — **Contactus virtutis** dicitur cum agens, mediante sua virtute, attingit passum, ut sol aërem medio lumine.

Contiguum, V. Continuum.

Continere formaliter aliquid est illud in se, actu, et reipsa habere; ut ignis calorem. — **Continere eminenter** est non habere quidem actu, sed habere aequaliter perfectionem vel virtutem illam producendi; ut homo continet eminenter perfectionem animalis.

1. **Continuum**. Continui *partes aliquotae* ab Aristotele dicebantur illae, quae aliquoties repetitae totum aequant, ita tamen ut adaequate distinguantur ad invicem, nec una pars de alia participet, sed omnes habeant certam et aequalem mensuram. Sic palmus quater ductus totam metitur unam. Istae partes dicebantur etiam *determinatae, aequales, non communicantes*.

2. Continui *partes proportionales* illae sunt quae novis subdivisionibus eadem proportione factis deteguntur, ut si lignum bipalmare primum dividas in duos palmos, deinde in quatuor semipalmos, postea in octo medietates semipalmorum, et sic deinceps; servatur enim proportio subdupla in divisione, et dupla in multiplicatione Partes

istae consideratae in sua unaquaque serie, e. g. duo palmi, vel quatuor semipalmi sunt et ipsae partes aequales et non communicantes, ut partes aliquotae; sed considerata una serie cum altera, v. g. duo palmi cum quatuor semipalmis, dicuntur partes inaequales et communicantes, quia semipalmi sunt minores palmis, de illisque singuli participant aliquid. Partes proportionales dicuntur etiam indeterminatae, quia semper decrescere possunt per novas subdivisiones.

3. Continui *puncta copulantia, vel terminantia*, vel *continuantia* sunt puncta ab aliquibus veteribus admissa in continuo permanenti, indivisibilia, quae puncta nihil aliud praestant, nisi unire partes inter se, ita ut istae sint naturali nexu copulae. Nimirum autumabant illi partes continui, uti partes ligni, uniri inter se veluti quibusdam fibulis, quae puncta copulantia appellabant, eaque volebant indivisibilia.

4. **Continuum** est, quod partes habet integrantes naturali nexu copulatas, ut guttae in aqua, manus et brachia in corpore. Unde *continua* dicuntur a veteribus illa, quorum extrema sunt naturaliter unita. — **Contiguum** est illud, quod non importat unionem, sed meram immediationem loci; unde *contigua* dicebantur illa, quorum extrema sunt simul, id est in locis immediatis; ita duo ligna se invicem tangentia.

5. **Continuum permanens** illud est, cujus partes simul existunt, ut palea, lignum, etc. — **Continuum successivum** est, cujus partes fluxu non interrupto praetereunt, solamque habent continuitatem sumptam pro non interrupta successione, ut motus et tempus.

Contrahere genus, vel speciem, est determinare ac veluti applicare genus ad aliquam speciem, vel speciem ad aliquod individuum. Homo, e. g., contrahere dicitur *genus animalitatis*; Petrus contrahere *speciem humanitatis*; scilicet *genus animal* determinatur, sive applicatur homini, et *humanitas* Petro. Hoc etiam indicatur per verba *dividere genus, dividere speciem*, nempe, illud in suas species, hanc in sua individua.

Contraria sunt ea quae sub eodem genere maxime distant et se vicissim expellunt ab eodem subjecto; ut calor et frigus. — **Contraria immediata** sunt ea inter quae nullum dari potest medium; ut siccitas et humiditas. — **Contraria mediata** sunt ea inter quae datur aliquid medium; ut inter albedinem et nigredinem.

« Contraria contrariis curantur » (axioma); quia contraria ex eodem subjecto se mutuo expellunt, quod tam valet in physicis quam in moralibus.

« Contrariorum contrariae sunt causae » (axioma); quia cum sint opposita requirunt oppositam, aut dissimilem virtutem sui productivam. Quod intellige de causis *per se*, non de causis *per accidens* concurrentibus, neque de causis liberis; potest enim volitio et nolitio ejusdem objecti ab eadem voluntate successive produci. Possunt etiam haberi ab eadem causa necessaria effectus aliquo modo oppositi, si subjecta sint diversimode disposita, ut ab eodem sole habetur induratio lutii, et liquefactio cerae.

Conversio est unius rei in aliam transitio, ut dum lignum in ignem mutatur. — **Conversio enuntiationum** est commutatio extremorum propositionis, servata essentiali qualitate, et veritate; ut: nullum vitium est laudabile, nullum laudabile est vitium.

Convertens propositio dicitur ea, quae ab altera deducitur transponendo subjectum et praedicatum istius; e. g.: nullus homo est leo, ergo nullus leo est homo. Secunda haec dicitur *convertens*, prima vero *conversa*.

Convertentia. *Ad convertentiam dici*, illis adaptatur, quorum neutrum potest sine saltem tacita mentione alterius significari: ita *ad convertentiam* dicuntur dominus et servus.

Converti illi termini dicuntur, quorum unus de alio affirmari potest, et vicissim hic de illo. Tales sunt in sensu metaphysico, e. g., ens, bonum; nam omne ens est bonum, et omne bonum est ens. V. Transcendentale.

Corporea, sive *Corporalia per attributionem*, V. Spiritualia.

Corpus organicum; appetitus sensitivus est virtus corporis organici; id est corpus partibus constat quibus ut instrumentis ad varias functiones utitur pars animae sensitiva, cum sit *ὄργανον* idem quod instrumentum. — **Corpus mathematicum** est quantitas constans ex longitudine, latitudine et profunditate.

Creatio, V. Eductio.

D

Decretio, V. Motus 3.

Decretum attemperativum, relictivum, commissivum, indifferens vocatur decretum, quo Deus, secundum aliquos philosophos et theologos, decernit concurrere cum causis liberis; quia Deus per hoc decretum *attemperat* se naturae, et indoli voluntatis creatae, *relinquit*, et *committit* ei determinationem, et reddit omnipotentiam *indifferenter* applicatam ad quodvis extremum.

Definitio nominis est oratio qua explicatur nominis significatio. — **Definitio rei** est oratio qua declaratur essentia definiti. — **Definitio positiva** est quae rei quidditatem terminis positivis aperit, ut: homo est animal rationale. — **Definitio negativa** est quae rei naturae terminis negativis declaratur, ut: Deus non est mortalis, non corporeus, etc.

Demonstratio, V. A priori 2.

Denominans est nomen a quo aliud deducitur secundum significationem et terminationem; ut pietas a qua pius. — **Denominativum** est quod ab aliquo secundum vocem et significationem deducitur; ut iustus a iustitia.

Denominative, V. Formaliter 4, Specificative.

Descensus terminorum est consequentia ducta a termino communi, ad alium minus communem, sive etiam singularem sub illo contentum; e. g.: omnis homo est animal; ergo hic homo est animal. **Ascensus** e contrario est consequentia ducta a terminis minus communibus et singularibus ad terminum communem, qui illa sub se comprehendat; e. g.: singuli evangelistae sunt sancti; ergo omnes evangelistae sunt sancti.

Desitio est cessatio alicujus a suo esse, vel operatione.

Determinate aliquid facere significat illud et non aliud per actionem suam respicere; *determinative* vero facere significat determinare causam illius, ut ipsum producat. Sic qui librum a te petit, te movet ad aliquid *determinate* volendum, sed non movet *determinative*, id est non te determinat; determinatio enim non ab illo, sed a libera tua voluntate dependet.

«Deus et natura nihil faciunt frustra» (axioma); quia hoc aliquid imperfectionis importaret, et quamvis nobis aliqua superflua, imo vitiosa appareant, ut gibbus in homine, haec tamen ipsa conducunt ad bonos fines, licet nobis ignotos.

Diaphanum est quod illustratur, vel illustrari potest a lumine; ut aër, vitrum.

Dictum in propositione modali dicitur propositio ipsa absoluta: e. g. in hac propositione:

Petrus nunc studet, nunc, est *modus*, Petrus studet, *dictum*.

Differentia communis est accidens commune, quo res aliqua, vel ab aliis, vel a seipsa diverso tempore, locove differt: ut albedo parietis et manus. — **Differentia propria** est accidens inseparabile a subjecto, per quod ab aliis differt; ut nigredo corvi, albedo nivis. — **Differentia propriissima** est qua unum essentialiter ab aliis succurritur; ut rationalitas respectu hominis. V. Metaphysica essentia 1, Principium 1.

1. **Directe** aliquid cognoscitur, quando primo cognoscitur in se. *Reflexe* vero, quando cognoscitur in alia cognitione de alia re habita; e. g.: visum homine *directe* cognosco, at visa ejus imagine, *reflexe*, quia tunc hominem cognosco per cognitionem imaginis.

2. **Directe** id dicitur intendi in quavis actione, quod primario et ratione sui intenditur. *Correlativum* habet *indirecte*, quod dicitur de illo, quod tantum ratione alterius intenditur, et quasi per accidens. Sic Logica *directe* agit de operationibus intellectus, *indirecte* de signis, vocibus, etc. Item in moralibus *directe* intendit homicidium, qui illud mandat; *indirecte*, qui illius aliquam causam ponit, ut ebrietatem, ex qua illud sequatur.

Directive concurrere, V. Efficienter.

Discursus physice est motus localis celeriter factus a termino a quo, ad terminum ad quem. — **Discursus logice** est progressus intellectus ex una cognitione in aliam, ut syllogismus. — **Discursus ordinatus** seu causalis est qui fit ex unius notitia ad alterum cognoscendum, propter aliquam utriusque inter se connexionem, ut: homo est animal, ergo vivit. — **Discursus inordinatus**, seu successivus, est series cognitionum sibi invicem succedentium absque dependentia unius ab alia; ut si cognoscas hominem esse animal, et deinde solem lucere.

Dispositive, V. Formaliter 4.

1. **Distinctio** consistit in eo, quod unum non sit aliud. Distinctionis variae sunt divisiones, quae notari praestat.

2. **Distinctio absoluta** datur inter duas res, quarum neutra est modus alterius, ut inter lapidem et aurum. **Distinctio modalis** datur inter rem et modum ejus, ut inter corpus et ejus figuram.

3. **Distinctio adaequata** datur inter totum et totum, e. g., inter solem et lunam. — **Inadaequata** datur inter totum et ejus partem, e. g., inter manum et unum e digitis ejus. **Distinctio inadaequata** dicitur etiam *inclusivis* et *inclusis*.

4. **Distinctio rationis ratiocinantis** datur quando mens nostra concipit distincta, quae talia a parte rei non sunt sine ullo fundamento in re sic distinguendi, ac proinde tota distinctio a ratiocinante pendet; e. g. dum in una eademque re rationem subjecti et praedicati veluti diversa attributa concipimus, ut dum dicimus: homo est homo; vel dum eandem rem concipimus per conceptus synonymos, ut si dicimus: homo est animal rationale, in qua propositione veluti distinguimus hominem ab animali rationali; quo casu si unus conceptus sit explicatio alterius, ut in exemplo dato, dicitur etiam distinctio rationis penes *implicitum* et *explicitum*.

5. **Distinctio rationis ratiocinatae** habetur, quando mens nostra concipit distincta, quae talia quidem vere non sunt, sed id facit cum fundamento in re. Hoc autem fundamentum consistit vel in faecunditate objecti ad operationes valde inter se diversas, ut ignis, qui indurat lutum, et liquefacit ceram; vel in perfectione objecti, quae perfectionibus multis alibi dispersis aequivalet, ut Deus, cujus perfectio aequivalet, imo eminenter continet quid-

quid perfectionis in creaturis est; vel in reali similitudine, simulque dissimilitudine talis objecti cum aliis, ut homo, qui est similis et dissimilis bruto; vel in tenuitate, seu debilitate nostrorum conceptuum, ut accidit cum homo procul visus cognoscitur solum per conceptum *corpus*, tum propius accedens per conceptum *animal*, deinde per conceptum *homo*, ac demum per conceptum *talis hominis*, e. g. Petri. In quolibet ex fundamentis hisce simul cum imperfectione intellectus humani, qui nequit unico intuitu totam rei perfectionem bene concipere, consistit fundamentum distinctionis *rationis ratiocinatae*. Fundamentum hoc vocatur etiam *fundamentalis distinctio rationis*.

6. *Distinctio realis* est, quae rebus convenit independentem ab operatione intellectus, ut inter animam et corpus hominis. — *Distinctio rationis* est, quae rebus convenit per operationem intellectus concipientis, ut distincta, quae talia a parte rei non sunt, ut inter attributa Dei.

7. *Distinctio realis* a Scotistis subdividitur in *realem entitativam*, sive *absolutam et strictam realem*, et in *formalem ex natura rei*. Illa datur inter rem et rem, ut inter Caesarem et Alexandrum; altera datur inter *formalitates* (ita vocantur notas essentialia et attributa) ejusdem rei, ut inter animalitatem et rationalitatem hominis. V. Gradus metaphysici. Ista porro formalitates per Scotistas *ex natura rei*, sive a parte rei formaliter distinguuntur, si ipsae sint diversimode definibiles, vel si una a sua quidditate formali (V. Quidditas) alteram excludat, vel uni inquantum tali conveniat aliquid, quod alteri inquantum tali non convenit. Totum hoc patet in proposito exemplo animalitatis et rationalitatis; nam et diversimode definiuntur, et dici non potest: «Animalitas, quia est animalitas, est etiam rationalitas», et vicissim; insuper animalitati, ut tali, convenit similitudo cum brutis, quae similitudo non convenit rationalitati ut tali. Quando ergo ista verificentur non dabitur quidem distinctio realis stricte talis, inquitur Scotistae, quia illae formalitates non sunt res realiter distinctae, sed sunt formalitates ejusdem rei inter se realiter identificatae, et propterea inseparabiles; dabitur tamen distinctio formalis ex natura rei, id est independentem ab intellectu nostro verificabitur a parte rei, quod una formalitas non sit alia, et uni conveniat quod alteri non convenit.

8. *Distinctio virtualis impropria*, sive *extrinseca* consistit in aequivalentia unius rei multis per hoc, quod una res in se identificet perfectiones, quae multiplicentur in rebus aliis, vel praestet varios effectus, qui praestari solent a multis, vel causent in hominis mente diversitatem conceptuum. Distinctio haec concidit cum *fundamento distinctionis rationis ratiocinatae*. V. haec verba.

9. *Distinctio virtualis propria et intrinseca* est aequivalentia distinctionis realis. sive est talis virtus capacitas, ut licet attributa sint realiter identificata, eadem tamen possit suscipere praedicata contradictoria, ac si illa essent totaliter distincta: e. g. animal et rationale hominis, licet sint unum et idem, neque ullam habeant actualem distinctionem a parte rei, ut voluit Scotistae, tamen intrinsecam virtutem et capacitatem habent, ut alterum dicatur et sit a parte rei simile bruto, alterum non simile, perinde ac si forent duo subjecta realiter distincta. Aliis verbis distinctiones hae explicari solent. — *Impropria* est aequivalentia unius rei indistinctae pluribus rebus distinctis, sed non qua distinctis, adeoque non ut verificantibus praedicata contradictoria. — *Propria* est unius rei indistinctae aequivalentia pluribus rebus distinctis quatenus distinctis, et praedicata contradictoria verificantibus — *Distinctio virtualis propria* etiam

in rebus creatis assecelas habet praesertim Thomistas.

Diversa. *Primo-diversa* illa sunt, quae in nullo genere, nisi ad summum universalissimo genere entis conveniunt, ut substantia et modus. — *Diversa*, seu *differentia solo numero*, dicuntur quae sub eadem specie diversas habent entitates; ut Joannes et Paulus. — *Diversa*, seu *differentia specie*, dicuntur ea quae sub eodem genere diversas habent essentialia definitiones: ut homo et brutum. — *Diversa*, seu *differentia genere*, dicuntur ea quae in diversis praedicamentis collocantur, ut lapis et virtus.

Divisio est alicujus totius in suas partes sectio; ut, si homo in corpus et animam dividatur. — *Divisio nominis* est oratio quae aliquid nomen ambiguum in sua significata distribuit; ut canum alius est coelestis, alius terrestris, alius marinus. — *Divisio rei* est oratio quae totum aliquid in suas partes distribuit, ut animalis pars altera est vivens, altera sensitiva. — *Divisionum* tot sunt species quot totorum. V. Totum.

Duratio extrinseca est motus ille primi mobilis quo regulatur durationes intrinsecae. — *Duratio intrinseca* est permanentia rei in suo esse; seu est perseverans existentia.

E

Eductio, sive educi aliquid de alio, significat aliquid ita fieri, ut necessarium sit subjectum, in quo illud producat et conservetur; sive, quod idem est, eductio est actio, quae aliquid producit ex praesupposito subjecto. Ita dum ignis ex praesupposita materia, v. g. ligno, gignitur, dicitur ignis de ligno educi. Imo omnes actiones creaturarum, quae aliquid producant, eductiones sunt, cum nihil causae creatae valeant efficere sine materia praeeistente. Materia autem haec praeeistentes vocatur *subjectum sustentationis*; nam sustentat illud, quod producit et conservatur dependenter ab ea, eo fere modo, quo fundamentum domus domum ipsam sustentat superpositam. Eductioni opponitur *Creatio*, quae rem ex nihilo producit, sive per quam res producat ex nihilo tum sui, tum *subjecti praesuppositi*. — *Educi de potentia* est fieri in actu quod prius erat in potentia, et dependet a materia, et fit per agens naturale: sic forma ignis dicitur educi de potentia materiae ab agente per generationem.

Effectus formalis est effectus causae formalis. — *Primarius*, qui et *intrinsecum* dicitur, est compositum concretum, vel denominatum resultans ex forma unita subjecto capaci; e. g.: effectus formalis primarius et intrinsecus calor, quo aqua calefit, est aqua ipsa calida; ita etiam homo sanctus est effectus formalis gratiae unitae homini. — *Secundarius* vero, qui et *extrinsecus* dicitur, est quicumque effectus sive positivus, sive negativus, qui ex unione formae cum subjecto ita resultat, ut aequatione distinguatur a forma, sive ut formae maneat extrinsecus, ut in exemplis adductis expulsio frigoris in aqua, deletio criminum in homine.

Effectus. V. Causa sublata.

Efficienter, *effective*, *elicitive* ad aliquid concurrere dicitur de illo, quod immediate exequitur et efficit opus. Correlativa sunt haec: *directe* concurrere, quod dicitur de illo, quod ostendit regulam seu artificium, quo res fieri debet; *moraliter*, quod dicitur de illo, quod illuminat, invitat, inclinatur; *imperative*, quod dicitur de imperante effectivitate operis; *finaliter*, quod dicitur de fine actionis; e. g. : *Judicia* producantur ab intellectu *efficienter*, seu *elicitive*, *imperative*, et *moraliter* cum

sunt libera, a voluntate applicante intellectum: a Logica *directiva*; a fine acquirendi scientiam *finaliter*. V. Formaliter 4.

Electio est actus quo fertur voluntas ad amplectendum medium, quod ab intellectu iudicatur ad finis consecutionem idoneum.

Elementa vulgaria sunt: terra, aqua, aër, gnus, quia sunt, iuxta veteres, generalia quaedam semina caeterorum omnium corporum, saltem sub-lunarium, quae dicebantur *mixta*. Ex istis, quae conveniunt inter se in aliqua ex iis qualitatibus, quae primae dicuntur (V. Primae qualitates), ut aër et aqua, quibus convenit humiditas et frigus, licet diverso gradu, dicuntur *symbola*; quae vero in nulla qualitate conveniunt, ut ignis et aqua, dicuntur *symbola*. Quia vero corporum species sunt longe plures quam diversae uniones ferant quatuor elementorum, hinc praeter ea admittebantur olim semina quaedam corporum a Deo initio mundi producta, quae dispersa serventur in regionibus elementorum, veluti in communibus seminariis, quae sint pro complemento ad talem, vel talem speciem corporum, quae producuntur. Ista semina vocabantur etiam a chymicis *spiritus*.

Elenchus est syllogismus in quo inferitur concessae conclusionis contradictoria; ita ut quae eam concessit etiam ejus contradictoriam cogatur admittere.

Elvari dicitur res cum per auxilium Dei fit potens assurgendi ad munus superioris ordinis, vel ad effectum extra naturalem ejus sphaeram collocatum; ut intellectus humanus ad visionem intuitivam Dei.

Emanatio accidentis est naturalis resultantia accidentis a subjecto cui debetur conaturaliter, tanquam ejus proprietas, aut modus; ut productio intellectus et voluntatis in anima, frigoris in aqua.

Eminentior, V. Formaliter 1.

Ens rationis pure objectivum est chimera, sive res impossibilis, quatenus aliquo modo est obiectum cognitionis humanae, ut circulus triangularis. — **Ens rationis logicum** est quod fingitur ab intellectu propter aliquod fundamentum in re, ut natura humana concepta per modum unius propter similitudinem naturarum singularium. — **Ens per se** est quod habet unam tantum essentiam, ut Deus, homo. — **Ens per accidens** est quod constat ex pluribus entibus in actu, ut ex rebus diversorum praedicamentorum, vel ejusdem praedicamenti, inter se naturaliter non ordinati, ut cumulus lapidum. — **Ens actuale**, seu **ens in actu**, est quod re ipsa existit, ut coelum. — **Ens potentiale**, seu **in potentia**, est quod non habet, sed habere potest existentiam aliamve perfectionem; v. g. aqua frigida est in potentia ad calorem.

Ens relativum et absolutum, V. Relatio 1. «Entia non sunt multiplicanda sine necessitate» sive «Frustra fiunt per plura, quae fieri possunt per pauciora» (axiomata); tum quia secus aliquid fieret inutiliter, tum quia res, quae est simplicior, eo est perfectior, caeteris paribus.

Entitates absolutae, V. Modus 3.

Entitative significat rem considerari in tota et nuda sua entitate. Correlativum habet *connexive*, quod indicat aliquid verificari ratione connexionis unius rei cum alia. Sic corpus *entitative* est incapax sentiendi, et iners, sed *connexive*, scilicet ratione connexionis cum anima, est capax sentiendi, ac se movendi.

Enuntiatio est propositio affirmativa vel negativa. — **Enuntiatio modalis** est quae exprimit modum quo praedicatum subjecto inest vel non inest, prout modus ille est aut possibilis tantum, aut realis, aut necessarius. Si possibilis, iudicium

est *problematicum*; si realis, dicitur *assertorium*; si necessarius, *apodicticum*. — **Enuntiationis materia** est habitudo subjecti ad praedicatum, secundum quam dicitur, necessaria, contingens, vel impossibilis. — **Enuntiationis quantitas** est extensio subjecti prout universaliter, vel particulariter, vel singulariter accipitur. — **Enuntiationis qualitas** est affirmatio vel negatio attributi de subjecto. — **Enuntiationis acquipollentia** est duarum enuntiationum identitas quoad sensum. — **Enuntiationis exponibilis** est quae propter aliquam rei obscuritatem expositione indiget. V. Exponere. — **Enuntiationis reduplicativa** est quae constat dictione geminata (*quatenus*), qua indicatur sub quoniam respectu praedicatum subjecto conveniat, ut Christus, quatenus homo, passus est. V. Reduplicative.

Esse ultimum rei est illud ultimum instans temporis quo res existit. — **Primum non esse rei** est illud primum instans temporis, quo res amplius non existit; hoc dicitur etiam *ultimum instans extrinsecum existentiae*.

Esse secundum, V. Secundum.

«Esse est propter operari», axioma, cui similia sunt haec: «Unumquodque est propter suam operationem»; «Unumquodque, sicut se habet ad esse, ita se habet ad agere»; «Modus operandi sequitur modum essendi». Quorum ratio est: quod esse, sive essentia cujuscumque rei ordinatur ad operationem sibi propriam et proportionatam, et ipsa essentia rei est principium activum operationis. V. Modus.

Essentia est id quod primo in re concipitur, sine quo res esse non potest, estque fundamentum et causa caeterorum quae sunt in eadem re; ut animal rationale est hominis essentia. V. Quiditas.

«**Essentiae rerum** consistunt in indivisibili» (axioma), scilicet, nullum praedicatum essentiale potest ab aliojus rei essentia detrahi, vel illi addi sic, ut salva maneat eadem essentia.

Essentialiter dicitur aliquid praedicatum convenire subjecto, sine quo subjectum nec esse, nec concipi potest, ut rationalitas respectu hominis, unde etiam homo dicitur *essentialiter* rationalis. — **Correlativum** habet *accidentaliter*, quod dicitur de illo praedicato, sine quo res saltem concipi potest, ut albedo, rotunditas. V. Formaliter 3.

Eubulia est habitus qui praebet facultatem recte consulendi, id est inveniendi consilium in rebus ambiguis et perplexis.

Eutrapelia est virtus quae nos decore facit uti joci et ludicris, quae animi causa assumuntur, ut et in illis modum servemus, nec ab illis nimis abhorreamus.

Exemplar est res quam sibi proponit artifex, ut ejus similitudinem exprimat, vel eam imitetur. — **Exemplatum** est imago rei quam repraesentare voluit artifex.

Exemplariter, V. Formaliter 4.

Exercite, V. Signate. — **Exercitium**, e. g. intelligendi, ambulandi, vel aliud agendi indicat actum ipsum intelligendi, ambulandi, vel aliud agendi. — **Exercitium** idem ac actuale, sive in actu esse.

Exigitivum, vel **exactivum** idem ac **exigens**. Ita ens supernaturaliter definitur id, quod superat vires activas et exactivas naturae; nempe, quod superat id, quod natura suis viribus agere, et a suo auctore exigere potest.

Expenetrata dicuntur, quae non sunt penetrata.

Exponens propositio illa est, quae additur ad explicationem alterius propositionis explicatione indigentis, quaeque *exponibilis* dicitur. Triplex praesertim species propositionum exponibilium a

veteribus distinguebatur. Prima est exponibilis *exclusiva*, estque ea quae habet particulam *exclusivam*, ut *tantum, dumtaxat, solum*, quae particula indigeat explicatione; e. g.: « Petrus est tantum logicus ». *Exclusiva* huiusmodi exponitur per copulativam; e. g.: « Petrus est logicus, et nihil aliud ». Copulativae prima pars: « Petrus est logicus », dicitur propositio *praejacens*; altera: « et nihil aliud », vocatur *secunda exponens*. Alia species exponibilium est propositio *exceptiva*; nempe, quae habet particulam, *praeter, nisi*, aut similem explicatione indigentem. Tertia species est propositio *reducativa*, habens, scilicet, unam ex his, vel similibus particulis: *ut, prout, quatenus, inquantum*, quae sit explicanda.

Exponere idem ac explicare.

Extensive et **Intensive** potissimum dicuntur de qualitate et quantitate. **Extensio** enim qualitatis. v. g. caloris, tunc fit, quando calor extenditur ad plures partes subjecti. — **Intensio** vero tunc fit, quando in eadem parte subjecti ponuntur plures gradus qualitatis ejusdem. Sic calor ut sex in sola manu est intensior calore ut quatuor in toto corpore; ad hic est illo extensior.

Extraneum, V. Proprium 2.

F

Fallacia est argumentatio captiosa quae vulgo vocatur *sophisma*. — **Fallacia in dictione** est quae habet causam apparentiae ratione dictionis, seu orationis multiplicis. — **Fallacia extra dictionem** est quae causam apparentiae sortitur ex parte rerum per verba significatarum. Distinguitur sextuplex *sophisma dictionis*: **Fallacia aequivocationis**, quae est cavillatio circa significationem verborum; — **amphiboliae**, cum eadem oratio diversa significat, ut *littus arare* significat terram aratro prosindere et operam perdere; — **compositionis** est deceptio ex eo proveniens quod oratio in sensu composito vera videatur, cum tamen in eo falsa sit; — **divisionis**, cum oratio in sensu diviso accipitur, dum in sensu composito sumenda sit; — **accentus**, cum ex homonymis obsectorum identitas concluditur; — **figurae dictionis**, cum ex similitudine dictionum penes finalem terminationem deceptum est. — Distinguitur septuplex *sophisma extra dictionem*: **Fallacia accidentis**, cum perperam inferitur aliquid alicui convenire, quia convenit ejus accidenti; — **secundum quid**, cum concluditur ex convenientia dicti secundum quid ad dictum simpliciter; — **petitionis principii**, quod idem est ac quod vulgo vocatur apud nos *petitio principii*, et *circulus vitiosus*; — **consequentis** est inferre veritatem antecedentis ex veritate consequentis, aut falsitatem consequentis ex falsitate antecedentis; — **secundum non causam** ut *causam* est errare circa causam rei supponendo ut causam aliquid pure chimericum, aut tantum concomitans; — **plurium interrogationum** est argumentatio captiosa, in qua ex una responsione ad plures diversas, vel oppositas interrogationes data, colligitur aliquid absurdum; — **ignorantia elenchi**, qua res de qua agitur non tractatur.

Fatum est rebus mobilibus inhaerens dispositio, per quam divina Providentia suis quaeque necit ordinibus. — Seu est ordo secundarum causarum divinae Providentiae decreta exequentium. — Formaliter est dispositio ipsa secundarum causarum ad effectum fatalem, id est infallibilem, reducta in divinam voluntatem.

Fieri. *In fieri* res esse dicitur, dum incipit esse, sed nondum tota est. *In facto esse*, dum est completa in rerum natura cum iis partibus et constitutivis, quibuscum durat et permanet. Ita pictura

est *in fieri*, dum pictor signat et pingit tabulam; *in facto esse* vero, dum jam picta est.

Finaliter, V. Formaliter 4. — **Finaliter concurrere**, V. Efficienter.

Finalizatio dicitur illa ratio, quae movet tanquam finis assequendum. Ita, e. g., bonitas Dei, quatenus ejus possessio est beatitudo nostra, est *finalizatio*, seu ratio motiva bonorum operum, quae fiunt ad Deum assequendum.

1. « **Finis** est causa causarum » (axioma); quia intentio finis obtinendi movet alias causas ad operandum pro fine obtinendo, ut Roma videnda movet ad omnia itineris media.

Finis *cujus* est ille *cujus* adipiscendi gratia movetur. vel operatur agens, ut sanitas, *cujus* recuperandae causa sumitur medicina.

2. Finis *objectivus*, seu *finis qui*, sic specialiter dicitur, est bonum, quod consequi volumus, ut beatitudo in viatoribus.

3. Finis *qui*, dicitur ille, quem agens intendit assequi; e. g. salus, quam aeger intendit. Finis *cui*, dicitur persona, vel subjectum, cui procuratur *finis qui*; e. g. aeger ipse, cui sanitas procuratur.

4. Finis *vero formalis*, seu *finis quo*, est actualis consecutio ipsius boni, ut beatitudo ipsa in beatis.

5. Finis *internus* et *proximus* est qui primo et per se et immediate intenditur, ut architectonicae finis internus est domus constructio. — Finis *externus* et *remotus* est qui secundario et mediante alio per se tamen intenditur; ut in architectonica domus habitatio.

6. Finis *operis*, seu scientiae, est ad quem, per se et in propria natura, actio vel habitus ordinatur; ut finis logicae est rectitudo actionum mentis. — Finis *operantis*, seu *scientis*, est quem artifex pro arbitrio sibi proponit, in actionis exercitio, vel scientiae acquisitione; ut qui addiscit scientiam propter utilitatem.

7. Finis *simpliciter ultimus* est is ad quem actu vel virtute referuntur omnia; ipse vero ad nullum prorsus ordinatur, ut Deus. — Finis *secundum quid ultimus* est qui aliquam actionum seriem terminat in qua per se ultimo intenditur; potest tamen ad alterum referri, ut sanitas finis est artis medicae, ordinari tamen potest ad aliud, scilicet ad laborandum.

1. **Forma accidentalis**, juxta Peripateticos, est illa, quae adventi subjecto completo in esse substantiae. Talis, e. g., rotunditas, albedo, quae subjectum, cui insunt, supponunt jam completum in esse talis, vel talis substantiae, sicut illud accidentaliter solum perficiunt. V. Actus formalis.

2. **Forma corporeitatis**, quam multi ex antiquis admitebant in corporibus animalium, multi etiam in corporibus viventium omnium, est ipsa organizatio partium corporis, perquam ipsum est aptum, et ultimo dispositum ad recipiendam animam. Hanc organizationem fingebant illi tanquam substantiam distinctam a corpore, et ideo appellabant etiam *organizationem substantialem*.

3. « **Forma dat esse rei** » (axioma), quia forma materiam ex se indifferentem in certa specie constituit, sicut in re morali actiones indifferentes per intentionem agentis accipiunt certam speciem virtutis, ad vitii.

4. **Forma mixtionis** est, juxta veteres, quaecumque forma corporis subularis, eo quod in tali corpore mixta continentur vel formaliter, vel virtualiter quatuor elementa, terra, aqua, etc.

5. **Forma per analogiam** cum forma substantiali veterum (V. N. seq.) dicitur in compositis artificialibus quidquid ea principaliter perficit, et collocat in tali determinata specie rerum. Sic lignum, marmor, metallum, vel alia quaevis materia a figura recipit esse et perfectionem statuae,

unde in iis figura dicitur eorum forma. Imo in qualibet re etiam partibus distinctis carente, attributum, quod primum videtur, et ipsius rei distinctivum forma saepe appellatur. Hinc etymologia *formalitate*. V. Gradus metaphysici. Hinc etiam multae significationes adverbii *formaliter*.

6. Forma *substantialis* apud Peripateticos est substantia a materia distincta, de se ordinata, ut cum materia prima constituit corpus naturale tanquam potissima corporis *differentia physica*; scilicet, cum materia sit indifferens ad quodlibet compositum; a forma sibi unita determinatur, ut sit vel lapis, vel canis, vel lignum. Formae substantiales tot sunt apud illos quot sunt corpora diversa. Forma *substantialis* a recentioribus passim rejicitur, nec non a quibusdam antiquis, qui *corpusculares* dicebantur, totam corporum diversitatem unice repetentibus a diversa materiae modificatione. Secundum istos ea forma *substantialis* est, quae cum subjecto, cui advenit, unum per se constituit, seu quod materiam determinat ad certam substantiam. V. Actus formalis.

7. « Qui dat formam, dat consequentia ad formam » (axioma); quatenus, nempe, rei forma, seu id quod constituit rem in esse talis rei, connexiones habet proprietates ipsam consequentes, quo sensu etiam dicitur: « Causa causae est causa causati ».

8. Forma *assistens* est quae non est pars rei; sed ei movendae tantum praest, ut angelus coelo.

9. Forma *metaphysica* est totius rei *substantialis* essentia; ut animal rationale dicitur hominis forma metaphysica.

Forma generatim quid sit. V. Physica essentia.

Forma species qualitatibus est modus quantitatis in corpore spectata et figura exterior ornata coloribus.

Formale est quod gerit munus formae, cui correlativa sunt: *materiale*, quod, nempe, gerit munus materias; *accidentale*, quod, nempe, est accidens (V. Formaliter); tot enim significationes, et correlativa habet verbum *formale*, quod *formaliter*. Generatim autem loquendo, aiebant dialectici, nomen *formale* non alienat, sed signat magis proprietatem nominis, cui adiungitur, id est, ostendit illud nomen sumendum esse in significatione ipsi magis propria.

Formalitas est omnis ratio seu notio qua concipitur aliquid.

1. **Formaliter** aliquando sumitur pro *mentaliter*, nempe, secundum formalitates, quas sola mente distinguimus (V. Gradus metaphysici). Sic sumptum correlativum habet *realiter*; ita omnipotentia et sapientia Dei non *realiter*, sed *formaliter* distinguuntur.

2. Interdum dicitur de re considerata in se ipsa, seu in propria entitate. Tunc autem habet varia correlativa, prout varia sunt illa, cum quibus res quaeque conferri potest. Si enim confertur cum effectu, correlativum erit *efficienter*, *causaliter*, vel *vialiter*; ita, e. g., cibus dicitur vita hominis, non formaliter, sed efficienter; ita etiam pharmacum dicitur hominis sanitas. Si confertur cum objecto, correlativum erit *objective*; ita Deus dicitur spes hominis justus non formaliter, sed objective, scilicet: Deus non est spes hominis, sed objectum spei. Si confertur cum exemplari instar cuius res facta sit, correlativum erit *exemplariter*; sic imago Caesaris in pictoris imaginatione existens concurret ad picturam imaginis Caesaris non formaliter, sed exemplariter. Si confertur cum fine, correlativum est *finaliter*; ita felicitas aeterna dicitur hominem ad recte faciendum movere non formaliter, sed finaliter; nempe, ut finis assequendus. Si confertur cum alia re secum con-

nexa, cuius existentia ab illa inferatur, vel pure illam comitetur, correlativum erit *argutive*, *illative*, *comexive*; ita in fumo cognoscimus ignem non formaliter, sed argutive. Si confertur cum re, cuius existentia illi imputetur, correlativum erit *impulative*; ita homicidium suadens, homicida est non formaliter, sed impulative. Si confertur cum re, cuius sit radix, correlativum erit *radicaliter*; ita in amore proprio inordinato omnia fere mala dicimus consistere non formaliter, sed radicaliter. Si confertur cum illis, quae sunt dispositio ad illam rem habendam, correlativum erit *dispositive*; ita ignis habetur per siccitatem ligni non formaliter, sed dispositive. Si confertur cum re, a qua aliquam denominationem accipiat, correlativum erit *denominative*; ita aliqua parte corporis formaliter aegra, homo ipse, sive totus homo, dicitur aeger denominative.

3. Interdum est idem ac *vere* et *proprie*, et tunc correlativa habet: *apparenter*, *metaphorice*; e. g., prava ridere dicuntur non formaliter, sed metaphorice. V. Identice.

4. Subinde significat idem ac *essentialiter*, ita ut praedicatum, quod dicitur convenire subjecto *formaliter*, ingrediatur subjecti essentiam et definitionem; sic homo est formaliter animal. Sic sumptum varia habet correlativa juxta varios respectus, sub quibus considerari potest essentia rei. Nam potest essentia conferri cum praedicatis accidentalibus, et tunc correlativum est *accidentaliter*; ita homo dicitur, non formaliter, sed accidentaliter albus. Potest essentia conferri cum attributis, sive partibus rei, quae sunt veluti materia subjecti indifferens ad illud, aut aliud constituendum; et tunc correlativum est *materialiter*; ita homo dicitur caro materialiter, et in moralibus occisio hominis ab ebrio facta dicitur peccatum materialiter, non formaliter.

5. **Formaliter** sumitur effectus quando spectatur secundum se. **Radicaliter** autem, vel **Fundamentaliter**, quando spectatur secundum causam, radicem, vel fundamentum; sic risibilitas sumpta **formaliter** est proprietas hominis, et a rationalitate per mentem distinguitur; sumpta vero **radicaliter** idem est ac rationalitas; nam rationalitas est radix risibilitatis.

6. **Formaliter**, **Virtualiter**, **Eminenter** dicuntur de causis prout continent perfectionem sui effectus. Effectus enim contineri dicitur **formaliter** in causa, quando natura effectus, qui producit, reperitur in ipsa causa; sic calor continetur formaliter in igne, quia ignis calorem, quem producit, etiam in se continet, juxta Peripateticos. Effectus continetur **virtualiter** in causa, quando causa potest quidem talem effectum producere, sed natura effectus in ipsa causa non reperitur; sic piper, vinum, e. g., continet **virtualiter** calorem, quem producant in homine, sic etiam statua continetur in artifice. Denique **eminenter** effectus continetur in causa, quando causa multo est perfectior effectu, sublati, scilicet, imperfectionalibus, quae sunt in effectu; ita Deus eminenter continet creaturarum perfectiones. — **Aequivalenter** ab aliquibus effectus contineri dicitur in causa, quando causa est aequalis effectui. — V. Specificative.

Fortitudo est firmum propositum inhaerendi bono honesto, ita ut nulla ratione ab eo avelute permittat. — Ut est virtus specialis, fortitudo est mediocritas intra metum et audaciam.

Fruitio est delectatio de bono quod possidetur.

Fundare significat esse fundamentum: e. g. diversitas effectuum alicujus rei fundat diversitatem conceptum, scilicet est fundamentum diversitatis conceptum.

G

1. **Generatio** late sumpta est mutatio a termino negativo ad positivum, seu a non esse ad esse, sive substantiale, sive accidentale, ut productio ignis, productio caloris. — Generatio definitur a veteribus «productio substantiae ex praesupposito subjecto». Nimirum ipsis generatio non de solis viventibus dicebatur, idemque sonabat ac eductio formae substantialis cujuscumque. V. **Eductio**.

2. **Generatio conversiva** est ea, per quam subjectum transfertur de una forma in aliam, ut dum lignum evadit ignis.

3. **Generatio mutativa** est ea, per quam subjectum, sive materia praesupposita in generatione transit a negatione alicujus formae ad positionem ipsius; ut dum aer de tenebroso fit luidus.

4. **Generatio pura, simplex, praecisa** est ea, per quam corpus producitur ex materia tunc primum creata, in qua proinde nec privatio, nec alia forma praecessit. Tales fuissent, juxta Peripateticos, generationes factae in primo instanti creationis mundi.

5. **Generatio vero viventium** est, ex D. Thoma, «origo viventis a vivente principio conjuncto in similitudinem naturae». Dicitur «origo», id est requirens verum influxum, sive sit causalitas, sive secus, ut ita comprehendat generationem Verbi a Patre. Additur: «principio conjuncto», quia principium vivens in ipso generationis momento debet esse proli conjunctum per aliquid proprium sui, quod maneat in genito; sic in Filio divino est eadem natura Patris, et in humanis materia seminis et sanguinis parentum. Tandem illa verba: «in similitudinem naturae» significant ex vi originis debere per se in prolem refundi convenientiam naturae cum suo principio maximam, quae dari potest inter supposito distincta: videlicet, in divinis convenientiam identitatis in natura; in creatis autem convenientiam similitudinis specificae.

6. In generatione *terminus a quo*, est status, quem subjectum generationis relinquit: *terminus ad quem*, est status, quem subjectum generationis acquirit, sive ad quem transit.

1. **Genus** physice est principium a quo multi oriuntur; ut Komulus dicitur genus Romanorum.

2. **Genus physicum** etiam a philosophis dicitur materia prima per analogiam cum genere logico, quod, sicut hoc in multis speciebus, ita illa in omnibus physicis compositis reperitur.

3. **Genus logicum** est unum aptum inesse multis, per modum partis essentialis, determinabilis. — Seu est id quod praedicatur de multis specie differentibus in quid, ut animal, virtus.

4. **Genus supremum** est quod super se genus non habet, ut substantia, quantitas; *intermedium* est quod supra et infra se habet genera, ut vivens; *infimum* est quod sub se tantum species habet.

5. **Genus immediatum** seu *proximum* est inter quod et speciem nihil intercedit, ut animal respectu hominis. — **Genus mediatum** seu *remotum* est inter quod et speciem intercedit aliud genus, ut vivens respectu hominis.

6. **Genus subjectum** appellatur obiectum formale alicujus scientiae, ut respectu Mathematicae, quantitas.

Gnome est habitus recte judicandi ex principii quibusdam altioribus contra tenorem verborum legis, vel certe de iis quae lege sancita non sunt; juxta tamen legislatoris mentem.

Gradus mathematicus est una ex trecentis sexaginta partibus, in quas dividuntur sphaerae circuli.

Gradus metaphysici dicuntur ea praedicata, quibus gradatim ascendimus ab infima ratione individui, veluti a basi, ad supremam usque rationem entis. In Petro, v. g., haec praedicata inveniuntur, sicut in quolibet etiam individuo speciei humanae: Homo, animal, vivens, corpus, substantia, ens. Gradus isti vocantur etiam *formalitates*.

Gradus physicus est ea pars qualitatis quae octies repetita totam ejus intensionem aequat.

Grave est quod natum est ferri ad medium. — **Gravissimum** est quod omnibus substatur quae feruntur deorsum. — **Grave simpliciter** est quod movetur ad locum infimum, ut terra. — **Grave secundum quid** est quod natum est ferri ad locum prope infimum, ut aqua.

H

Habere sic sumptum antonomastice duo potest significare: primo habere aliquem ornatum circa se arte, vel industria quaesitum, ut esse armatum, togatum, et sic pertinet ad decimum *praedicamentum*; secundo habere aliquid modo quocumque, ut habere divitias, servos, amicos, scientiam, et sic pertinet ad quintum *postpraedicamentum*. V. haec verba.

Habitualiter, V. **Actualiter**.

Habitudo est aptitudo, relatio, sive respectus, capacitas ad aliquid. Hinc intelligitur distinctionis sensus: *quoad entitatem, quoad habitudinem*. Quando consideratur in re quidditas, seu essentia, tunc res consideratur *quoad entitatem*: quando attenditur relatio, potentia, seu capacitas ad aliquid, tunc consideratur *quoad habitudinem*. Sic inter Deum et creaturam non datur proportio entitatis, sed habitudinis, scilicet entitas Dei et entitas creaturae infinite distant, ideoque non habent proportionem. Potest tamen creatura attingere Deum per cognitionem et amorem, et ad Deum referri potest; hinc habere dicitur *proportionem habitudinis*.

Habitus est qualitas, quae potentiae supervenit, et permanenter adhaeret, ut ipsam in operando adjuvet. — **Habitus per se infusus**, seu *supernatus nobis*, de quo theologi, a solo Deo producitur, datque simpliciter *posse*, quia potentia elevat ad actus, quos ipsa propria naturae viribus assequi non valet, v. g., habitus fidei, caritatis. — **Habitus acquisitus** seu *naturalis* repetitione actuum comparatur, datque solum *facile posse*, quia solum praestat potentiae, ut propensius, et minori conatu eliciat illos actus, quos alias sine habitu elicere potest; v. g., pulsandi citharam, legendi, scribendi. — **Infusus** est habitus praecedens omnem actum; *Acquisitus* fit ex repetitis actibus, ut habet axioma. — **Habitus** seu intellectus principiorum est virtus intellectualis, per quam intellectus inclinatur ad facile assentiendum primis principiis, propter evidentem veritatem ex ipsorum terminorum penetratione perceptam.

Habilitas est dispositio quaedam potentiae vel subjecti ad formam vel actum facilius recipiendum; qualis est in digitis ad ludendum cithara exercitatis. Est medium inter potentiam vel subjectum et actum seu formam.

Haecceitas, V. **Principium individuationis**.

Humidum radicale sic dictum quasi radix et fundus vitae, seu alimentum quoddam et nutrimentum, quo subinde deficiente et exhausto deficit vita et interit: vel radicale quasi a principio ingenium corpori; sicut et radix est id quod prima

innascitur arbori et quod vitam illius nutrit, auget, conservat. Hinc medici *primigenium* vocant.

Humidum *nutrimentale* est quod nondum pervenit ad suscipiendum perfecti naturam speciei, sed in via ad hoc, sicut est sanguis et alia huiusmodi.

Humores *primi* sunt substantiae quaedam mixtae et fluidae nutriendo, conservandoque corpori a natura destinata. — Humores *secundi* sunt in quae sanguis convertitur; sunt autem quatuor: humiditas sanguinea, ros, cambium, et gluten.

Hypostasis, V. Subsistentia.

Hypothetica propositio, V. Categoria.

I

Idea est forma quam imitatur effectus ex intentione agentis, determinantis sibi finem. 1. q. 44. art. 3.

Idem de eodem secundum idem significant conditiones necessarias, ut contradictio verificetur. Ut enim duae propositiones sint contradictoriae debet ex illis una affirmare, altera negare idem praedicatum de eodem subjecto, secundum eundem respectum. Ita contradictoriae sunt hae duae: « Aurum est lucidum; aurum non est lucidum ».

« Idem manens idem, semper est natum facere idem » (axioma), videlicet: Causa manente eadem et nullatenus mutata, idem effectus haberi debent.

Identice significat identitatem, scilicet hoc quod plura sint unum et idem; v. g., vis liquefaciendi in sole eadem est *identice* cum vi indurandi, seu est unum et idem. Huic correlativa sunt *formaliter*, *reduplicative*. V. Materialiter 1.

Identificari plura inter se est unum et idem esse, licet diversimode concipiatur; ut intellectus et voluntas in homine, sapientia et omnipotentia in Deo. *Identificationi* opponitur *Distinctio realis*. V. Distinctio.

Identitatis in eo consistit, ut ea, quae a nobis concipiuntur ut unum et aliud, revera sint idem inter se, sive quibus una sit *entitas*. Alia est *realis*, quae rebus convenit independentem ab operatione intellectus, ut ea, quae convenit attributis Dei. Alia est *rationalis*, quae a certo quodam rationis actu provenit, vel in eo actu consistit, ut dum eandem concipimus naturam Petri ac Pauli, licet ipsi naturam habeant realiter distinctam. Identitas *rationalis* potius est similitudo. — *Identitati* opponitur *Distinctio*. V. Distinctio.

Identitas habet divisiones omnes, quas habet *Unitas*. V. Unitas.

Identitas etiam vulgo sumitur pro convenientia quacumque inter duo sive similitudinis, sive aequalitatis; sic natura humana dicitur eadem in omnibus hominibus; sic etiam duo pondera aequalia dici possunt eadem.

Ignorantia est rei aliquid inscitia. — *Ignorantia negativa* seu *simplicis negationis* est mera carentia scientiae quam quis habere non tenetur, ut in rustico juris vel philosophiae inscitia. — *Ignorantia privativa* aut *privationis* est carentia scientiae, quam quis habere aptus est et tenetur, ut si medicus medicinam nesciat. — *Ignorantia pravae dispositionis* est error contrarius scientiae, quam quis habere vel idoneus est vel debet, ut qui negant Deum esse.

« **Ignoti nulla cupido** », axioma, quod ab altero confirmatur: « Nil volitum, quin praecognitum ».

Illative, V. Formaliter 4.

Imaginatio est actus facultatis animae, quae ipsa vocatur *imaginativa* seu *imaginatrix potentia*.

Immediatio virtutis habetur, cum aliquid agit in objectum distans per aliquid in ipsum immissum; ita ignis, dicebant, agit in distans per calorem. — **Immediatio suppositi** habetur, quando agens est contiguum illi, quod recipit actionem, vel illud tangit; ita, e. g., ignis applicatus stuppae.

Immutatio naturalis est quando organum disponitur eadem qualitate naturali, qua disponitur res extra animam; id est, quando organum accipit eandem qualitatem naturalem quam habet objectum, sicut cum manus fit calida ex tactu rei calidae, odorifera ex tactu rei odoriferae. — **Immutatio spiritualis** est quando recipitur qualitas sensibilis in instrumento secundum esse spirituale, id est, quando recipitur species sive quiddam intentionale qualitatis, et non ipsa qualitas; sicut pupilla oculi recipit speciem albedinis et tamen non efficitur. 1. q. 78. art. 3. et seq. q. 82. art. 3. in corp.

Imperative concurrere, V. Sufficenter.

Implicare. Verbum illud designat rem quae aliam continet. « **Implicare** contradictionem » dicitur cum quid fieri non potest, quia sequeretur idem simul esse et non esse, ut implicat dari hominem qui non sit rationalis.

Implicite et **explicitate** in actibus intellectus idem sonant ac *confuse* et *distincte*. Sic notae essentiales hominis cognoscuntur *implicite*, in definito « Homo », *explicitate* vero in definitione « Animal rationale ». *Implicite* et *explicitate* in actibus voluntatis sumitur pro *directe* et *indirecte*. Qui vult se vino implere, vult *implicite* ebrietatem: si vero bibat eo fine, ut se inebriet, vult ebrietatem ipsam *explicitate*.

Impraescindibiliter significat non posse fieri *praesicionem*.

Impossibile est quod fieri vel esse repugnat. — « Ab impossibili sequitur quodlibet », axioma, cui simile est aliud: « Dato uno absurdo, caetera accidunt »; nimirum ab impossibile qua tali tam verum, quam falsum potest deduci, ut si ponas hominem mori posse in gratia et in peccato, inferre licebit illum salvandum esse et non salvandum, itemque damnandum et non damnandum. Praeterea in scientiis, posito uno falso fundamento, et falsitate pro veritate admissa, absurda quaeque sequi possunt. Valet etiam in moralibus; ut si admittas hominem non esse in agendo liberum, admittes etiam neque mereri, neque demereri.

Impotentia late est carentia potentiae activae, ut caecitas. — *Impotentia* qualitatibus species, est qualitas qua quid aegre, vel parum agit, aut resistit; ut visus senis, mollietas cerae.

Imputative, V. Formaliter 4.

Inadaequate, V. Aadaequate.

Inane est spatium corpore carens, nec aptum eo naturaliter repleri, quale erat ante mundum conditum.

Inclusio. Distinctio *includentis* et *inclusi*. V. Distinctio.

Indifferentis. « Ab indifferenti ut indifferenti nihil determinatum oriri potest », axioma, cui consonat illud D. Thomae: « Nihil quod est ad utrumlibet exit in actum, nisi per aliquid determinetur ad unum ». Oportet enim ad habendum actum, ut indifferentia auferatur, et ponatur determinatio ad aliquid sive ab extrinseco, sive ab intrinseco.

Indirecte, V. Directe.

Indistantia penetrationis consistit in hoc, quod duae res sint inter se indistantes per hoc, quod penetrentur, sive quod sint in eodem loco. *Indistantia continuativae*, vel *contiguivae* consistit in hoc, quod duae res sint inter se indistantes

per hoc, quod sint in locis immediatis sine intervallo.

Individualitas, V. Principium 1.

Individuatio est actio qua res individuatur. De *individualitate*, V. Principium.

Individuum *primo intentionaliter* est cujus proprietates omnes simul sumptae non possunt alteri convenire, ut Petrus. — Individuum *secundo intentionaliter* est quod de uno solo praedicari potest, ut Socrates de seipso. — Individuum *vagum* est quod de uno solo, sed indeterminate dicitur, ut quidam dicitur. — Individuum *signatum* est quod proprio nomine exprimitur, ut Socrates. — Individuum *demonstrativum* est quod exprimitur nomine speciei et pronomine demonstrativo, ut hic homo.

Indivisibile late est quod partibus caret, in quas dividi possit. — Indivisibile *quantitatis* est quod deficit a corpore. — Indivisibile *secundum quid* est quod deficit a corpore, secundum unam, aut alteram dimensionem, ut linea et superficies. — Indivisibile *simpliciter* est quod omnino se, seu secundum omnem divisionem deficit a corpore, ut punctum. — *Indivisibile* etiam dicitur, cui non potest fieri additio, aut detractio absque essentiali ejus mutatione, ut numeri, et essentia rerum, etc.

Inexistere idem ac existere in aliquare; v. g., accidentia inexistere dicuntur substantiae, id est existunt in substantia. Hinc intelligitur quid sit:

Inexistentia, sive *Inalietas*.

Infinitanter sumitur particula *non* in aliqua propositione, si in ea efficiat *subjectum*; sumitur vero *neganter*, si efficiat *verbum*, seu *copulam*; e. g.: Non homo currit, si habeat hunc sensum: homo non currit, accipitur *neganter*; si vero hunc alium: Quod non est homo currit, accipitur *infinitanter*, quia subjectum evadit infinitum, seu indefinitum.

Infinitum est quod caret termino quo circumscribatur.

« Infiniti ad finitum non est proportio » (axioma). Hinc quando de infinito est sermo, non valent rationes et proportiones a finitis desumptae, quia ibi conceptus plene alius formandus est.

Infinitum categorematicum, sive *in actu* est illud, quod i finitatem actu positam habere concipitur, ut si concipiatur existens infinita hominum multitudo. — **Synecategematicum**, sive *in potentia* illud est, cujus partes non habent infinitatem, nisi in augmento possibili, quatenus plures et plures superaddi possunt sine fine, licet nunquam perveniant ad infinitatem actualem, sed semper sint finitae in infinitum; vel etiam quatenus ita superadduntur de facto ut nulla unquam futura sit ultima; ita aeternitas *a parte post*, quae convenit Petro in coelo, Judae in inferno, importat durationem *syncategematicae* infinitam.

Infinitum *syncategematicae* explicari etiam solet per haec verba: « Non tot quin plura ».

Infinitum extra genus, sive *per essentialiam*, est infinitum actualiter in omni genere perfectionis, qualem solum Deus est.

Infinitum simpliciter est illud quod est infinitum in omni genere entis; dicitur quoque in infinitum *in perfectione*. — **Infinitum secundum quid** est quod in aliquo tantum genere entis est infinitum, ut si daretur linea infinita in genere quantitatis.

Informare dicitur de forma, quae unita materiae vel subjecto cuivis, illud constituit in determinata quadam rerum specie. Hinc liquet quid sit *Informatio*.

Informatio, V. Materializatio.

Instans est indivisibile temporis, ejus partes

continuans aut terminans (ex Arist. Phys. lib. 4. c. 4. et D. Thom. opusc. 36). — Quod fit in *instanti* non sese coextendit certis partibus temporis.

Instantia est propositio propositioni contraria, quae intelligitur opposita per contradictionem.

Instrumentum est quod assumitur a causa principali ad effectum producendum. — Est *supernaturale* aut *naturale*, secundum naturam effectus quem producit. — **Instrumentum conjunctum** est quod non potest agere, nisi principali causae actu jungatur. — **Instrumentum separatum** est quod agit seorsum, etiam a principali agente positum, tanquam ejus virtus, ut calor.

Integre, V. Adequate.

Intellectus est facultas cognoscitiva qua versatur circa ens; ut verum est percipiendum.

Intellectus agens dicitur intellectus, quatenus et ipse efficit speciem impressam, qua juvetur ad efficiendam expressam. — **Intellectus passivus**, sive *possibilis* dicitur intellectus, quatenus recipit species impressas priusquam efferret cognitionem, et dicitur etiam intellectus *possibilis*, eo quod potens sit recipere rerum omnium species. V. Species.

Intelligentia interdum pro intellectu sumitur; interdum pro intellectione, ut cum dicitur assentiri primis principiis ex intelligentia terminorum; interdum pro sensu et applicatione propositionis, sic dicimus, ea est intelligentia horum verborum. — **Intelligentia principiorum**, V. Habitus. — **Intelligentia separata** est substantia spiritalis sine corpore et materia, ut angeli.

Intelligentiae assistentes sunt angeli a Deo, juxta veteres quosdam, deputati ad mundi regimen.

Intensio in qualitatibus est additio unius plurius graduum qualitatis in eadem parte subjecti, ut continuata calefactio. — **Intendere** ac **remittere** sunt correlativa. Quod nec intenditur nec remittitur, idem est ac quod nec augeri nec minui potest, ut privationes quae nec intenduntur nec remittuntur.

Intentio interdum idem sonat ac cognitio.

Intentionaliter idem ac *mentaliter*.

Primo-intentionaliter, sive *Realiter* sumitur res, quando consideratur secundum ea, quae ipsi conveniunt a parte rei, ut cum dico: Homo est animal. — **Secundo-intentionaliter** sumitur res, quando consideratur secundum denominationes extrinsecas, quas accipit ab actu intellectus, ut cum dico: Homo est species, animal est genus; nam istae denominationes proveniunt ab operatione intellectus abstrahentis et concipiunt unum praedicatum tanquam genus, aliud tanquam speciem. Hinc intelligitur, quoniam sint termini: *Primae intentionis*, *Secundae intentionis*. — **Res intentionis** est quod existit tantum in mente, ac proinde idem est ac *ens rationis*. — **Esse intentionale** dicitur per oppositum ad *esse reale*.

Intranscendentes, V. Transcendentales.

L

Latio, V. Motus 3.

Latitatio formarum, quod fuit admissum ab iis qui dixerunt quod formae sunt totaliter ab intrinseco. 1-2. q. 63. art. 1.

Leve est quod ferri tantum est a medio. — **Levissimum** est quod supereminet omnibus quae sursum feruntur. — **Leve simpliciter** est quod fertur ad locum supremum, ut ignis. — **Leve secundum quid** est quod fertur ad locum prope supremum, ut aer.

Libertas exercitii est eadem ac *contradictionis*, per quam, scilicet, habetur potentia ad quod-

libet ex contradictoriis, ut facere bonum et non facere. — Libertas *specificationis*, vel *quoad speciem* eadem est, ac *contrarietatis*, per quam, scilicet, habetur potentia ad quodlibet ex contrariis, ut facere bonum et malum.

Locus extrinsecus est extrema superficies corporis alius amoventis; sic concava superficies vasis aqua pleni est locus extrinsecus aquae. — **Locus intrinsecus** est determinatio cujusque rei, ut figuratur in una parte spatii imaginarii prae aliis. Dicitur *intrinsecus*, quia rem ipsam afficit intrinsece, ut si Deus conservando Petrum, v. g., omne corpus circumquaque annihilaret, Petrus non esset quidem in loco *extrinseco*, sed tamen esset in loco; nam dici non posset Petrum tunc nullibi esse.

Locus intrinsecus dicitur etiam: *Ubi, Ubique, Ubicatio, Praesentia rei*. V. *Ubi*.

Locus extrinsecus potest esse *mediatus* et *immediatus*, prout mediate, vel immediate superficies, quae dicitur *locus*, continet corpus; e. g. superficies vasis aquae est *locus extrinsecus aquae immediatus*; urbs erit civium *locus mediatus*. Et revera inter aquam et superficiem vasis nihil intercedit; intercedit vero inter singulos cives et ambitum urbis.

Locus communis est qui continet multa locata, ut cubiculum. — **Locus proprius** est qui unum tantum locatum ambit. — **Locus sacramentalis** est in quo res corporea existit modo indivisibili, ut corpus Christi in Eucharistia. — **Locus circumscriptivus et definitivus**, V. *Circumscriptiva praesentia*. — **Locus totalis** est qui totum locatum adaequate capit.

Logice idem ac per mentem, seu in ideis nostris. Correlativum habet *physice*, quod idem est ac *realiter*, seu a parte rei.

Ly, V. 75 (10).

M

Magis et **minus** suscipere dicuntur illa, quae sunt capacia augmenti et diminutionis; e. g. veritas non suscipit magis et minus, suscipit autem probabilitas, id est, nulla propositio potest esse magis vera quam altera; potest tamen esse magis probabilis. Hinc *Penes magis et minus* differre est differre penes majorem, vel minorem quantitatem ejusdem speciei, ut duo triangula similia et inaequalia ex eadem materia; vel penes gradum ejusdem qualitatis, ut lux aurorae et lux meridiana.

« Magis et minus non variant speciem » (axioma); quia magis et minus non designant essentialiter rei, sed quantitatem majorem, minoremve. Sic vir est quidem major puero, sed non magis homo, neque homo alterius speciei physice, cum uterque sit animal rationale.

Malignantis naturae dicitur propositio negativa.

Materia, V. *Physica essentia*.

Materia late est in qua aliquid recipitur, vel ex qua fit, aut circa quam versatur. — **Materia in qua** est subjectum in quo accidens recipitur et dicitur causa materialis, ut aer est materia in qua, et materialis causa luminis. — **Materia ex qua** est id ex quo sive permanente, sive transiente, aliquid efficitur, ut lignum ex quo fit caedra. — **Materia circa quam** est res ea in cuius contemplatione, productione, vel directione versatur habitus, ut corpus naturale est materia physica; mentis operationes dirigibiles sunt materia logicae.

1. **Materia analogica** est materia sic dicta *improprie*, et per analogiam cum materia propria.

Sic attributa, quae sunt genus rei, dicuntur materia analogica. V. *Metaphysica essentia*.

2. **Materia metaphysica** est potentia et perfectibilitas cujusque rei, quae materia dicitur solum per analogiam cum materia vera. Sic anima hominis dicitur materia metaphysica relate ad scientias et virtutes, quibus perfici potest, ut materia proprie dicta perficitur formis, quas in se recipit.

3. **Materia prima** apud Peripateticos est informis quaedam ac imperfecta substantia, indifferens ad quodlibet constituendum, quae in naturali ac quotidiana corporum transmutatione accipit ab agentibus naturalibus nunc has, nunc illas formas *substantiales*, per quas perficitur et determinatur, ut sit lapis, aurum, planta; et quodlibet ex his pereunte adhuc remanet materia prima capax recipiendi novas formas *substantiales*. Dicitur materia *prima* ad differentiam materiae artefactorum, ut statuariae, mensariae, quae materia dicitur *secunda*.

4. **Materia prima** dicitur interdum *primum subjectum*, quatenus in omni composito ea est, quae prima informatur, nimirum, a forma *substantiali*, quae deinde est subjectum suarum proprietatum, tandem totum compositum est subjectum aliarum proprietatum, e. g. caloris, frigoris, figurae, motus.

5. **Materia propositionis** ex qua sunt termini ipsius propositionis, nempe subjectum et praedicatum; materia *circa quam* sunt res, vel objecta, quae per terminos manifestantur.

6. **Materia potentiae universalis** est entitas materiae, prout formarum omnium tam *substantialium* quam *accidentalium* successive recipiendarum capax est. — **Materia potentiae particularis** est ipsa materiae capacitas, certis accidentibus, ad unam potius quam ad aliam formam recipiendam determinata; ut materia habens siccitatem et calorem, habet particularem potentiam ad formam ignis potius quam aquae.

De materiali se habere relate ad aliquid, significat non constituere illud in esse talis; *de formali* vero constituere illud tale, v. g., ut aliquis evadat bonus; *de materiali* est quod sit pulcher, aut deformis; *de formali* vero quod vitam recte instituat.

1. **Materialiter** dicitur praedicatum convenire subjecto, quando convenit ratione *materiae*, sive subjecti. **Formaliter** autem, quando convenit ratione *formae*: v. g.: ignis est *materialiter* gravis, *formaliter* calidus.

2. **Materialiter** quandoque est idem ac *identice*, seu *specificative*, nempe, per identitatem, et ut res est a parte rei in seipsa. **Formaliter** autem quandoque idem est ac *reduplicative*, quod exprimi solet per particulas: quatenus, in quantum, ut, prout, quia talis: e. g., si de homine sit sermo, haec propositio: « Istud animal est rationale », vera erit in sensu *materiali*, seu *identice*, non vero in sensu *formali*, seu *formaliter*; nam sunt quidem haec duo identificata; sed non possum dicere: « Istud animal, quatenus animal, est rationale »; animalitas enim et rationalitas sunt praedicata in conceptu et definitione diversa. V. *Formaliter* 3.

Materializatio vocatur officium materiae, dum recipit formam, et cum ea constituit corpus. **Informatio** autem est officium formae, dum materiam sibi unitam perficit, ut tale corpus constituat.

Maximum quod sic est summa cujuscumque speciei, e. g. corporis humani magnitudo possibilis. Ponamus hominem posse assurgere ad magnitudinem, ut decem, sed non ultra; erit

haec magnitudo maximum quod sic hominis. — Minimum quod sic, vel minimum naturale est summa parvitas possibilis speciei.

Maximum quod non est maxima parvitas inter illas parvitates, quae sunt impossibiles viventi naturaliter; ut si ponamus magnitudinem necessariam homini viventi esse ut quinque, erit quantum maximum quod non. — Minimum quod non est minima magnitudo inter illas magnitudines, ad quas vivens assurgere non potest: e. g. ut si ponamus hominem viventem non posse assurgere ultra magnitudinem ut decem, erit undecim minimum quod non.

Medium, antonomastice dictum, idem est ac *medium terminus* argumentationi deserviens.

« Medium nobilissimum est extremis » (axioma), quod praecipue valet in moralibus. Sic virtus in medio consistit inter excessum et defectum. In physicis etiam compositum perfectius est elementis, ex quibus componitur.

Medium rei, Medium rationis. Cum virtutes in exercitio respiciant normam rectam, quae medium appellatur, si norma petatur a re ipsa solum, dicitur haec norma *medium rei*; si a personarum, aliarumque circumstantiarum qualitate petatur, dicitur *medium rationis*. Sic iustitia, quam vocant commutativam, respicit in contractibus valorem ipsum rerum, qui aequalis pro omnibus est, ac proinde sequitur *medium rei*. Liberalitas respicit qualitatem donantis, occasionem, et alia, quae varia sunt, quaeque prudentum iudicio penduntur, ac proinde sequitur *medium rationis*. — Medium morale est id quod assumitur ab agente ad finem consequendum; ut eleemosyna ad beatitudinem. — Medium syllogismi aut rationale est id quod assumitur ad probandum unum de alio. — Medium arithmeticum est quod aequaliter excedit numerum minorem et exceditur a majori, secundum excessum quantitatis, non secundum proportionem; ut senarius ternarium ternario excedit et ternario exceditur a novenario. — Medium geometricum est cum unum exceditur ab alio secundum eandem proportionem, quae fit proportio proprie dicta, secundum quam excedit; sic sex excedunt tria in proportione dupla, et exceduntur a duodecim in eadem proportione dupla — Medium quod, seu suppositi est, cum inter agens et passum, mediat suppositum quod prius recipit actionem agentis quam perveniat ad passum; ut aer est medium inter ignem agentem et manum patientem. — Medium quo est forma per quam agens producit effectum, ut calor est medium quo ignis in manum agit. — Medium sub quo est quod potentiam perficit ad agendum in generali, eam non determinans ad objectum speciale, ut lumen est medium sub quo percipit oculus colorem quemlibet. — Medium in quo est id per cuius inspectionem ducitur potentia in alterius rei notitiam; ut in speculo cernatur res objecta et in imagine res repraesentata.

Mentaliter, V. Formaliter 5.

Metaphysica est scientia speculativa causarum omnium primarum et primorum principiorum. Circa ens, ut ens est, speculandum versatur (Aristot. *Metaphys.* lib. I. cap. 2.).

1. *Metaphysica essentia, compositio, fabrica* est complexio notarum, quae sunt in re, ut a nobis concipitur, principales et primariae, quibus res illa satis intelligitur, et a caeteris distinguitur. Nimirum homines, ut plurimum realem rerum essentialium ignorantes, contenti sunt ex affectibus et proprietatibus essentias stabilire. Effectus ergo et proprietates considerant. Inter has vident inultas, per quas res cum rebus aliis convenit, et multas, per quas ab aliis rebus differt. Conside-

rant quanam proprietates sit fons, origo et radix proprietatum communium, et quanam proprietatum differentialium. Ex his duabus notis simul sumptis componunt essentiam metaphysicam. Illam vero, quae est radix proprietatum communium, appellant *genus*, sive per quamdam cum materia physica analogiam *partem essentiae materialem*; alteram vero, quae radix est proprietatum differentialium, appellant *differentiam*, sive *partem essentiae formalem*; compositum resultatens ex genere et differentia, in quo stat essentia metaphysica, appellant etiam *speciem*. Exemplum ab homine petatur, cuius essentia metaphysica ponitur in animalitate et rationalitate, seu in vi sentiendi communi etiam brutis, et in vi ratiocinandi homini solum propria, quae duae hominis proprietates principia sunt omnium aliarum, quae in homine deprehenduntur. *Metaphysica* vero dicitur essentia haec, sive *compositio et fabrica metaphysica*, quia licet attributa illa realia sint et intrinseca rei, tamen determinare duas illas proprietates, in quibus constituitur essentia, est, ut patet, operatio mentis nostrae concipientis in his attributis distinctionem et compositionem quandam, quae est extrinseca tantum et apparens. Notetur autem fieri posse, imo fortasse haud raro ob mentis humanae imbecillitatem contingere, ut attributa illa, in quibus metaphysicam essentiam collocamus non sint vere et a parte rei prima attributa, nec realem et veram rei essentiam constituent.

2. *Metaphysica essentia* dicitur etiam interdum *essentia logica*.

Metaphysice, V. Formaliter 6.

Minimum naturale, sive *materia primigenia* a veteribus dicebatur illa materiae portio, quam primo informat anima in utero materno. Haec particula juxta eos semper postea manet in medio cordis, aut cerebri, et dicitur prima sedes animae.

Mixtio est actio qua ex pluribus elementis inter se refractis totum ab iis essentialiter diversum constituitur; ut actio qua producitur lapis. — *Miscibile* est quod misceri potest. — *Mixtum* est compositum quod ex mixtione elementorum resultat.

Mobile primum dicebatur a veteribus primum et multum, quae admittebant, coelis, quodque per ipsos movebat reliqua corpora caelestia.

1. « *Modus operandi, cognoscendi, praedicandi sequitur modum essendi* » (axiomata); nempe, modus operandi, cognoscendi, praedicandi conformatur essentiae rei, quae has operationes circa objectum elicit, non vero ipsi objecto. Sic aiebant: homo, quia existit modo corporeo, operatur et cognoscit per actiones et species desumptas a materia, sive versetur circa objecta materialia, sive circa spiritualia; et contra angelus, qui totus spiritualis est, agit per actiones et species spirituales, etsi versetur circa objectum materiale. V. Esse.

2. *Modus sciendi*, sic dictus antonomastice, significat *definitionem, divisionem, argumentationem, methodum*, de quibus Logica tradit regulas. Dicitur autem ista *modus sciendi*, quia per ea juxta regulas facta, declaratur id, quod confusum est, et quod est ignotum detegitur.

3. *Modus, seu entitas modalis* est realis et ultima determinatio rei ad aliquam denominationem rei existentis propriam; sive, quod idem est, est entitas addita alicui rei realiter distinctae, cuius indifferentiam determinat ad aliquid constituentium. Talis est unio, e. g., animae cum corpore in homine; anima enim et corpus, quae possunt separatim existere, determinantur ab unione; ut

hominem actu constituent. Modi sunt inseparabiles a re modificata, cum repugnet actu determinans sine re actualiter determinata. Sunt tamen modi, juxta veteres, quaedam *realitates*; nam, e. g., unio est aliquid reale, cum quid reale sit, animam et corpus uniri; deinde sunt *realitates* a re modificata distinctae; alioquin anima et corpus non possent existere, nisi unitae. — Modis opponuntur *entitates absolutae*, quae sunt illa accidentis, quae existere possunt sine substantia, cui inhaerent, ut color, sapor.

Entitas modalis, sive *modus* idem est ac *accidens pure modale*. — *Entitas absoluta* idem est ac *accidens absolutum*. V. Accidens, et Prolusionem

4. *Modi substantiales*. V. Substantiale.

5. *Modi prioris et posterioris* ab Aristotele in Postpraedicamentis quinque recensentur, scilicet: — Prius tempore, quod aliud temporis duratione praecedit, ut Adamus Abelem. — Prius natura dicitur illud quod inferitur ab alio, non autem ipsum infert, seu, ut loquuntur, a quo ad aliud non tenet subsistendi consequentia: ut animal natura prius est homine, quia bene inferitur, est homo ergo animal; non autem, est animal, ergo homo. — Prius ordine dicitur quod secundum naturae ordinem et dispositionem praecedit alterum, ut exordium narrationem. — Prius dignitate quod alterum naturae praecellentia antecedit; ut homo brutum. — Prius causalitate dicitur omnis causa, ut causa respectu effectus ut effectus; ut sol lumine, homo risibilis (V. Prioritas).

6. *Modi per se* sunt quatuor, duo *dicendi*, tertius *essendi*, quartus *causandi* per se. — Primus modus dicendi per se est in quo praedicatum est de essentia subjecti, ut: omnis homo est animal. — Secundus modus dicendi per se est in quo subjectum est de essentia praedicati, id est, in quo proprietates de subjecto praedicatur, ut: homo est admirativus. — Tertius modus essendi per se proprius est substantiarum, quarum proprium est per se subsistere, ut: homo per se subsistit. — Quartus modus est causandi per se, cum scilicet causa est per se causa talis effectus, ut jugulatio, mortis.

Moraliter concurrere, V. Efficienter.

1. *Motus* late sumptus est actus entis in potentia, prout in potentia; hinc motus dicitur *actus imperfecti*, quia ens in potentia indiget aliquo a quo perficiatur. — Motus aliquando dicitur quaevis *actio immanens*; ita intellectiones in homine, actus quique vitales (V. hoc verbum) in animalibus dicuntur *motus*. Sic Aristoteles definitur naturam in genere principium motus et quietis ejus in quo est.

2. *Motus* aliquando significat quamlibet actionem, creationem, educationem.

3. *Motus accretionis* est adjectio unius quantitatis ad aliam, ut si quantitati cuidam aquae alia portio aquae adungatur. — *Motus decretionis* est detractio quantitatis ab alia, ut si a quantitate quadam aquae portio aliqua detrahatur. — *Motus alterationis* est mutatio qualitatis, ut cum aqua de frigida fit calida. — *Motus lationis* est translatio de loco in locum, sive motus localis. — *Motus generationis* est generatio, sive productio substantiae ex praesupposito subjecto. — *Motus aggenerationis* est productio novae partis substantiae inanimis, ut dum ignis per ligni materiam serpit. — *Motus nutritionis* est nutritio, scilicet, augmentum substantiae viventium vi alimentorum.

Movens non motum est agens quod seipsum movet et ab alio non movetur, ut agens principale. — *Movens motum* est agens quod non movet nisi moveatur, ut membra corporis non aliud corpus movent, nisi prius ab anima ipsa moveantur.

Munus interdum significat potentiam, seu vim aliquam agendi.

N

Natura naturans, creatrix, universalis, est Deus.

— *Natura naturalata* est rerum omnium creaturarum complexus. Interdum accipitur natura pro essentia rei aut pro causis naturalibus, et sic dicitur: «*Natura nihil facit frustra*»; pro generatione et nativitate viventium; pro forma substantiali; pro principio effectivo vel passivo motus et quietis, et sic definitur ab Aristotele principium et causa motus et quietis ejus, in quo est per se et non secundum accidens.

«*Natura determinatur ad unum*» (axioma). Per naturam hic intelligitur agentia necessaria, quae sunt ad unum tantum determinata, ut ignis ad comburendum; non vero agentia libera, quae possunt se determinare ad opposita.

Naturale prout opponitur supernaturali est quod alicui rei secundum ejus naturam debetur, ut homini naturale est intelligere; prout opponitur voluntario et libero est quod fit sine voluntatis imperio aut advertentia, sed sola sponte naturae, ut nutrire, dormire; prout opponitur fortuito et casuali ut quod fit a causis naturalibus, ut descensus lapidis; prout opponitur violento, sic motus coeli est naturalis. Interdum accipitur pro corpore physico ex materia et forma composito.

Necessarium est quod aliter se habere non potest, ut hominem esse animal. — *Necessarium absolute* est quod a nullo pendet et ad nullum dicitur ordinem, ut Deus. — *Necessarium ex hypothesis* est quod aliqua facta suppositione est necessarium, ut cibus homini positio quod velit vivere. — *Necessarium physice* est id sine quo potentia in actu primo completa non est, nec agere ullo modo potest, ut calor respectu ignis ad calefaciendum. — *Necessarium moraliter* est id sine quo, quamvis absolute, fieri possit effectus; nunquam tamen vel raro fit; ut pelibus laboranti necessarius est equus ad peregrinandum. — *Necessarium logicum* est cui ex terminis repugnat non esse; sic necessarium est hominem esse rationale. — *Necessarium metaphysicum* est quod non habet in se potentiam ad non esse, ut Deus. — *Necessarium physicum* est quod ex causis naturalibus tale est; ut necessaria est eclipsis ex interpositione terrae. — «*Ex necessario nonnisi necessarium, et ex vero nonnisi verum sequitur*» (axioma); nam consequens, si recte ab antecedente inferatur, in ipso debet contineri; ergo quod inferatur a vero debet esse verum, et quod a necessario necessarium.

Necessitas simplex seu absoluta est qua res, nulla facta suppositione, ita necessaria est ut mutari non possit; sic Deum esse unum necessitas est absoluta. — *Necessitas antecedens* est illa, quam voluntas sibi libere non facit, nec vitare potest. — *Necessitas consequens* est, quam voluntas sibi libere facit, et vitare potest. Qui catenis vincitus ita sedet, ut propria vi surgere nequeat, sedet necessario necessitate antecedenti; qui vero ita sedet, ut propria vi surgere possit, sedet necessario necessitate consequenti; nimirum, posito quod sedeat, impossibile est ipsum non sedere. — V. Omne quod est. — *Necessitas consequens* vocatur etiam *necessitas consequentiae*, seu *ex suppositione*. — *Necessitas quoad specificationem* est qua potentia circa suum objectum, unius tantum speciei actum et non oppositum potest elicere; ut intellectus circa verum clare propositum, actum assensus, voluntas circa bonum actum amoris, non

odii. — Necessitas *exercitii* est quae potentia circa suum objectum unius speciei actum non potest non elicere; ut apertus oculus non potest non videre et voluntas Deum clare visum non amare.

« Nihil agit in distans » (axioma); hoc est, nulla causa producit effectum in loco a se distanti, nisi agendo per spatium intermedium; nam agentia creata sunt limitatae virtutis, et si non deberent agere per medium, possent agere in quamlibet distantiam, cum per medium nihil virtutis consumerent, quod est contra experientiam.

« Ex nihilo nihil fit »; « nihil in nihilum abit » (axiomata). Horum sensus est creaturam nihil posse efficere nisi ex praesupposito subjecto. Hoc enim deficiente, creatione opus esset, quae solius Dei propria est; deinde sensus est creaturam nihil posse penitus destruere et annihilare, quod aequae ac creatio potentiam exigit infinitam.

« Nil agit in seipsum » (axioma); hoc est: secundum eundem respectum non potest agere in seipsum; ita, e. g., dum aliquis se flagellat, manus agit in tergum ejusdem hominis.

Nomen positivum est quod significat aliquid reale existens, vel potens existere in rerum natura, seu quod ponit aliquid in re, ut virtus, lapis. — **Nomen negativum** est quod aliquid tollit, aut sublatur indicat ex rerum natura, ut mors non vivens. — **Nomen transcendens** est quod de omnibus et solis veris rebus dici potest; et sunt sex transcendentia, scilicet ens, unum, verum, bonum, aliquid, et res. Quae sex de quilibet re enunciari possunt. — **Supertranscendens** est quod non tantum de veris, sed etiam de imaginariis rebus asseritur, ut cum dico: intelligibile, fingibile, etc. — **Nomen primae intentionis** est quod est impositum ad rem significandam, prout per actum directum intellectus est cognita, ut homo, virtus. — **Nomen secundae intentionis** est quod affigitur rei per actum reflexum intellectus cognitae, ut genus, species, praedicatum, subiectum.

Nominaliter, V. Participaliter.

Non. Haec particula sumi potest *infinitanter* et *neganter*. Negatio *neganter accepta*, seu negans, est negatio in tota vi negationis accepta, prout totum quod ipsam sequitur destruit et ejus oppositum efficit, ut: nullus homo est lapis. — Negatio *infinitanter accepta* seu infinitans est negatio quatenus addita voci simpliciter, ejus tantum significationem negat et omnia alia dicit. V. **Definitanter**. — « Non omnis, quidam non »; axioma, cujus est sensus: Si non omne individuum alicujus speciei gaudet quodam attributo, necesse est ut habeatur in illa specie aliquod individuum illo attributo carens. Ita, e. g., si verum est quod non omnis homo sit doctus, verum etiam erit quod homo quidam non sit doctus.

Notitia. « Ab objecto et potentia paritur notitia »; axioma sat clarum. V. **Species 3.**

Notius natura est id quod est simplicius, sincerius, plus actualitatis minusque potentialitatis habens, ut Deus, angelus. — **Notius nobis** est quod est magis sensibile, materiale et compositum, seu quod propter intellectum humani conditionem nobis est magis cognoscibile, ut sunt singula materialia, hic homo, haec albedo.

Numerus numerans seu a rebus abstractus est ille quo intellectus utitur ad res numerandas, ut binarius, ternarius. — **Numerus numeratus** seu rebus concretus est multitudo rerum quae ab intellectu numerantur, ut binarius vel ternarius hominum. — **Numerus motus** est numerus par-

tium quantitatis continuae, qui fit per intellectus designationem, ut tempus, quod ab Aristotele definitur: « Numerus motus secundum prius et posterius ». Vox *numerus* idem sonat in hac definitione quod *mensura*.

Nunc, V. Instans.

Nutritio, V. Motus 3.

O

Objecti certitudo, V. Certitudo. — **Objecti semen, V. Species 3.**

Objective, V. Formaliter 4.

1. **Objectum activae potentiae generativae** dicitur id, circa quod ipsa potentia operando versatur. — **Objectum materiale** est res ipsa, quae a potentia respicitur, seu id in quod cadit actio. — **Objectum formale** est illa ratio in re, penes quam, vel propter quam a potentia res ipsa respicitur. Hinc **objectum formale** dicitur etiam **motivum**, vel id, quod movet ad operandum; v. g., corpora sunt **objectum materiale visus**, colores autem sunt **objectum formale**; a visu enim non attinguntur corpora nisi quatenus sunt colorata. Ita Deus erit **objectum materiale amoris**, bonitas autem ipsius, **formale**.

2. **Objectum formale quod** est ratio generica, quae omnia objecta particularia redduntur apta, ut attingantur ab aliqua potentia, vel scientia, ut color respectu potentiae visivae. Hoc appellatur etiam: *formale sub quo*; *ratio formalis sub qua*; *ratio objecti ut res est*; *ratio objecti in esse rei*; *ratio objecti ut objecti*; *ratio objecti in esse attingibilis, aut scibilis*; *ratio formalissima sub qua*.

3. **Objectum formale quod** est ratio specifica contenta in ratione communi, veluti in suo genere, ut respectu potentiae visivae color viridis contentus sub ratione generica coloris. Dicitur etiam *ratio formalis quae*; *objectum materiale proprium et per se*. V. **Specificativum**.

4. **Objectum materiale intrinsecum** est id quod in seipso, licet non propter se, attingitur, ut inimicus propter Deum dilectus. — **Extrinsicum**, quod dicitur etiam *pure denominativum*, est quod attingitur, non in se, sed in aliquo distincto, cui unitur. Sic homo visus dicitur, quamvis non substantia hominis, sed color solum videatur.

5. **Objectum primarium et per se** est in quod per se et directe fertur potentia; ut ens reale in metaphysica. — **Objectum secundarium et per accidens** est quod tantum ratione objecti primarii, vel quia ad illud conducit, vel quia ad illud habet ordinem, in scientiae tractatu, ut negationes, privationes et ens rationis in Metaphysica.

Oblivum. In *obliquo* rem importari. V. **Cutum**.

Occasionaliter dicitur de illo, quod est mera occasio aliquid agendi. Correlativum est *causaliter*, quod dicitur de illo, quod est vera causa. Sic aspectus pauperis *occasionaliter* concurrat ad elemosynam, quae ab amore proximi *causaliter* producitur.

Officians propositio est illa, in quam resolvitur propositio aliqua modalis, ita ut modus istius in illa reflexe affirmetur; e. g.: « Deum existere necesse est ». Propositio haec modalis resolvi potest in hanc aliam, quae dicitur *officians*: « Propositio ista, Deus existit, est necessaria ».

« Omne quod est, ex suppositione quod sit, necesse est esse »; axioma, cui simile aliud: « Unumquodque necessario est, quando est »; esset quippe, simulque non esset, si quod est, posset eodem instanti simul non esse.

Operari aequivoce, vel univoce, vel analogice

indicat causam esse cum suo effectu *aequivocam*, vel *analogicam*. V. Univoca.

« Operari sequitur ab esse »; axioma, cui simile est aliud: « Prius est esse quam operari »: hoc autem patet ex eo, quod nihil potest intelligi operari, nisi prius intelligatur existens.

Operari et Operatio; « Esse est propter operari », et alia similia axiomata. V. Esse.

« *Opinari* et existimare non est in nobis » (axioma); hoc est, non possumus cuivis objecto proposito assentire, vel dissentire, sicut possumus quidlibet imaginari; sed tantum iis, quae nobis vera, aut falsa apparent saltem ex probabili motivo.

Opinio est assensus intellectus alicui propositioni, vel ex terminis vel ex medio probabili, cum formidine partis oppositae. Interdum vox illa sumitur pro idea; v. g., dicitur *opinio universalis*, opinio *particularis*, sicut idea *universalis*, idea *particularis*.

Opposita contrarie sunt duo entia positiva, quae sub eodem genere maxime distant, sequae ab eodem subjecto vicissim expellunt; ut calor et frigus. — *Opposita privative* sunt forma et eus privatio, ut visus et caecitas. — *Opposita relative* sunt duo correlativa, seu relatum ejusque correlatum, ut pater et filius. — *Opposita contradictorie* sunt quorum alterum est ens, alterum ejus negatio simpliciter; ut homo, non homo.

Ordinare est actio quae res ad aliam referunt. — *In ordine ad idem sonat ac respectu ad aut relative ad*. — *Ordinaliter* res dicuntur res quarum una alteri subjicitur, secundum ordinem dignitatis aut aliter. — « *Ordine intentionis* quae sunt priora, posteriora sunt ordine executionis » (axioma). Hoc intelligitur de causa finali, nam prius volumus finem quam media, sed media prius exequimur quam finem obtineamus; sic dum intendimus obtinere sanitatem, tanquam finem, medicinam prius adhibemus et exequimur.

Ordo transcendentalis et praedicamentalis, V. Relatio 5. — *Ordo questionis et ordo perfectionis*; ordinis quae dicitur illud esse prius, quod in generatione seu productione alicujus rei prius requiritur; ordine vero perfectionis hoc vocatur prius, quod est perfectius.

Organizatio substantialis, V. Forma.

P

Pars est id quod ad alicujus totius constitutionem cum alio aliisque concurrat, ut brachium.

— *Pars homogenea* seu *similaris* est quae est ejusdem rationis et appellationis cum toto, ut quaelibet pars aquae. — *Pars heterogenea* seu *assimilabilis* est quae a toto diversam rationem et appellationem habet, ut brachium in corpore humano. — *Partes integrales* sunt partes quae ad totius integritatem pertinent, ut membra sunt partes integrales corporis humani. Per analogiam sanctus Thomas vocat partes integrales virtutis, eas nimirum animi functiones, sine quibus non est perfectus actus, sive usus virtutis; hinc memoria, intellectus docilitas, solertia, ratio, providentia, circumspectio, cautio sunt partes integrales prudentiae. — *Partes subjectivae* aut *inferiores* sunt diversae species aut diversa subjecta quae sub toto universali continentur; hinc homo et brutum sunt partes subjectivae animalis. In prudentia sunt hujusmodi duae partes: prudentia personalis, qua aliquis regit seipsum; prudentia politica sive gubernativa, qua aliquis regit multitudinem. — *Partes potentiales* sunt partes quae non habent totam virtutis principalis potentiam; sicut intellectus et voluntas sunt partes

animae potentiales, quia sunt quarundam actionum principia animae subservientia. Ita dicuntur quaedam virtutes adjunctae quae ordinantur ad aliquos secundarios actus, quasi non habentes totam potentiam principalis virtutis; ut ebullia, synesis et gnomo sunt virtutes potentiales prudentiae.

Partialiter, V. Adequate.

Participaliter verbum accipi, idem est ac illud accipi per modum participii. *Nominaliter* vero tanquam nomen. Ita, e. g., verbum hoc, adolescens, *participaliter* sumptum indicat in genere quidquid aetate augetur et vigescit; *nominaliter* vero hominem in prima aetate post pueritiam constitutum.

Participatio est actio quae res alteri participat. — *Ens participatum* est ens quod existit ab alio, et ita fit particeps perfectionum entis infiniti.

Passio late sumpta est eujuscumque receptio, ut honoris, pecuniae. — *Stricte* est receptio qualitatis destructivae, ut nimii caloris. — Ut praedicamentum est actus patientis quae patiens est; seu est receptio effectus ab agente; seu est fieri rei, ut acceptio formae ignis in materia igni, caloris in manu. — *Passio appetitus* est motus appetitus sensitivi, ex apprehensione boni vel mali cum aliqua mutatione non naturali corporis, ut amor, odium. — *Passio est etiam tertia qualitatis species*. V. Qualitas.

1. *Passio proprie dicitur sustentatio formae educatae*. V. Educatio.

2. *Passio interdum idem est ac proprietas*.

1. *Passum* vocatur *subjectum sustentationis*. V. Educatio.

2. *Passum*, seu *reagens*, est illud quod resistit actioni alterius entis fortioris in illud agentis; hoc autem, quod agit, et simul reparatur, dicitur *agens* et *repassum*. Ita cum corpus A agit in corpus B, hocque in illud reagit, corpus B dicitur *passum* et *reagens*, corpus vero A, *agens* et *repassum*.

1. *Per se* id dicitur convenire rei, quod ex natura ipsius rei convenit, seu ex principii intrinsicis. Sic homini conveniunt *per se* praedicata ipsi essentialia, ut rationalis, liber, et quae necessario comitantur hominis naturam, ut esse bipedem. *Per accidens* autem id convenit rei, quod convenit et *accidentaliter* et non necessario, sed quod convenit rei quasi casu et aliunde. Sic homo *per accidens* est albus, pius, nobilis.

2. *Per se* aliquando idem est ac veluti ex professo; *per accidens* autem idem ac propter aliud. Sic Logica *per se* agit de operationibus intellectus, *per accidens* autem de signis et vocibus.

Perseitas idem ac *per esse*.

Persona, Personalitas. V. Subsistentia.

Phantasia est sensus internus perceptivus objectorum etiam absentium, sensu externo prius perceptorum. — *Phantasma* est species objecti sensu externo percepti, quae in phantasia retinetur. Uno verbo phantasia est ea potentia quae vulgo dicitur *imaginatio*, et phantasmata sunt rerum imagines quae in imaginatione resident.

Physica essentia, seu *physica compositio* consistit in compositione partium, quibus vere constat. Harum partium, quae est indifferens ad hoc, vel illud constituendum dicitur *materia*, ut corpus in homine; quae vero determinat et perficit materiam, dicitur *forma*, ut anima. Hujus compositionis illa tantum, ut patet, sunt capacia, quae habent partes, ut sunt naturalia et artificialia composita.

Physice, V. Logice.

Positiones sunt illae propositiones, quae,

licet explicatis terminis sint evidentes, explicatio- nem tamen aliquam exigunt, suntque propriae aliu- jus scientiae. Ut illud in Logica: « Contrariae propositiones possunt esse simul falsae, non tamen simul verae ». — *Positio* interdum sumitur pro opinione aut hypothese quae in medium adducitur et discussione agitur: « Contra hanc positionem dicendum est ».

Positive res dicitur talis, quando in ea vere reperitur forma, a qua talem habet denomina- tionem. *Negative* vero dicitur talis, quando caret solum forma contraria. Ex. gr., qui sectatur vir- tutem dicitur bonus *positive*; *negative* autem bonus ille, qui expers est malitiae, eo quod non sit compos sui.

Possibile in genere est quod non repugnat esse, seu quod non implicat contradictionem. — *Possibile internum*, vel *absolutum*, vel *metaphysicum*, est illud quod consistit in sola attributo- rum entis constitutorum convenientia. — *Possibile externum* est illud ad quod efficiendum habetur virtus sufficiens. — *Possibile physicum* est illud cujus productio non vires alicujus entis physi- ci exsuperat. — *Possibile morale* est illud quod moribus legibusque humanis fundatur. — *Futura possibilis* sunt res quae sunt exstiturae. — *Praeterita possibilis* sunt quae olim exstiterunt. — *Praesens possibile* est id quod nunc existit. — *Mere possibile* est quod sic semper manet. — « Possibile positum in actu nihili implicat » (axioma); scilicet, quod est in potentia, ut existat, si supponatur existere, nullum inde sequitur impossi- bile, ut si dicas montem aureum esse possibilem, nihil implicat illum existere eo modo, quo supponitur possibilis.

1. **Potentia obedientialis** est aptitudo rerum, ut pro arbitrio Dei, ejusque auxilio rebus ipsis indebitis, munus impleant, quod naturaliter im- plere non valeant. Ita per potentiam *obedientialem*, intellectus beatorum elevatur ad Deum in- ruitive videndum. Dicitur autem *obedientialis*, quia nonnisi ex imperio Dei, ut auctoris supernaturalis reducitur ad actum. Per hanc potentiam quaelibet res elevari potest ad quidquid producendum, iis tamen exceptis, in quibus implicita inveniretur; ita lapis neque speciali auxilio Dei ratiocinari posset, vel oculus audire; hoc enim esset avertere rerum essentia, quod ipsi Deo repugnat.

2. **Potentia receptiva** dicitur materia, quia ma- teria est capax recipiendi formam. — **Potentia activa** est potentia effectum producendi. — **Potentia passiva** est potentia qualitatem aut effectum quemcumque recipiendi. — Omni potentiae passivae correspondet potentia activa proportionata, et vice versa. — **Potentia negativa** dicitur de materia quae hanc vel illam formam recipere potest.

3. **Potentia rei objectiva, logica, metaphysica** est non repugnans ad existendum, sive mera possi- bilitas intrinseca. Dicitur *objectiva*, quia est ob- jectum activae potentiae, vel quia est id, quod menti objicitur, dum rem non existentem concipi- mus posse existere.

4. « **Potentia specificatur ab actu** » (axioma); scilicet ab operationibus arguimus specificam po- tentiarum perfectionem ac distinctionem.

5. De potentia Dei *ordinaria* id dicitur fieri, quod est secundum legem et decretum ordina- rium Dei, quod ipse statuit servare circa res creatas. De potentia vero *absoluta* Dei, sive *extraordi- naria* id dicitur fieri posse, quod, praescindendo ab omni libero decreto Dei, et a cursu rerum ordi- nario, a Deo potest fieri. Unde per *absolutam*, sive *extraordinariam* Dei potentiam omne id fieri potest, quod non involvit contradictionem. Sic potest per potentiam Dei *absolutam* hodie absque

omni studio Salomonem sapientia superare, non tamen de potentia Dei *ordinaria*.

Potentia, V. Actu et Actus 2.

Potentialiter, V. Actualiter.

Potestative idem ac *in potentia*. Correlati- vum habet *Actualiter*. Sic quilibet effectus, an- tequam producat, est *potestative* in sua causa; est vero *actualiter* cum jam productus est.

1. **Praecisio in genere** nihil aliud est quam abstractio qua mens unum sine alio concipit. — **Praecisio excludentis ab excluso** esse dicitur in con- ceptu generico, in quo species sub eo contentae non includuntur. Sic ens generatim sumptum praescindit praecisio *excludentis ab excluso* ab entibus particularibus.

2. **Praecisio mentis** dicitur ea operatio intelle- ctus, per quam ipse ex praedicatis realiter indi- stinctis unum sibi quodammodo decerpit ac re- praesentat, omissis aliis; v. g., dum concipimus omnipotentiam Dei conceptu representante illud attributum, non vero alia, cum quibus illud a parte rei identificatur. Praecisio haec a nonnullis appellatur *objectiva*, sive *ex parte objecti*, quia juxta eos intellectus hac operatione ita unum attingit praedicatum objecti, ut caetera realiter identifi- cata vere relinquat incognita et intacta. Ab aliis autem dicitur praecisio *formalis*, sive *ex parte actus* vel *ex parte modi*, quia per eos cognitio attingit re ipsa totam realitatem objecti, sed adeo tenui representationis claritate, ut vi illius perinde ap- pareat objectum, ac si unicum illud praedicatum haberet. — Praecisionis nomen a materiali scis- sione sumptum est. Praecisionis *mentis* correla- tiva est.

3. **Praecisio realis**, quae convenit rei. Haec du- plex est: altera *inconnexionis*, sive *indifferentiae*, quae denotat rem aliquam non esse necessario connexam cum alio, atque hoc non contineri in ejus conceptu et definitione; v. g. in hominis voluntate datur praecisio *realis inconnexionis* cum amore scientiae scilicet hominis voluntas non est necessario determinata, ut scientiam amet, atque hominis voluntas bene concipitur sine actu amoris scientiae: altera praecisio *realis* est praecisio *non inclusionis*, quae denotat rem aliquam in se non includere aliud, et ab eo esse distinctum, licet sine eo concipi non possit. Sic filius, quae talis concipi non potest sine patre, a quo tamen est realiter distinctus.

Praecisive ab aliquo, si sermo sit de actibus mentis, idem est ac illud actu non considerando; si sermo sit de rebus, idem est ac illud in sui conceptu, vel definitione non includendo. V. Praecisio.

Praecognitio seu *praenotio* est cognitio aliam praecedens cum relatione prioris ad posteriorem, ut cognitio antecedentis quae habetur ante notio- nem conclusionis. — **Praenotio quid nominis** seu *quid orationis* est praecognitio qua quid significat vocabulum percipitur, ut philosophia significat amorem sapientiae. — **Praenotio an sit, vel quod rei**, est qua an res existat, vel possit existere dignoscitur, ut dum cognosco et possibilem esse et actu existere philosophiam. — **Praenotio quid rei** est qua penetratur rei quidditas, explicita nimirum ejus definitione. — **Praenotio quid sit principiorum** est qua cognoscuntur verae esse demon- strationis praemissae.

Praecognita. **Praecognitum** est quod ante aliud cum relatione tamen ad illud cognoscitur. — **Praecognita demonstrationis** sunt tria: *subjectum*, quod est illud, de quo aliquid demonstrare volumus; *passio*, quae est attributum demonstrandum; *princi- cipia*, quae sunt veritates, per quas praedicatum convincitur convenire subjecto. Sic in hac demon-

stratione: « Omnis virtus perficit hominem: humilitas christiana est virtus: ergo humilitas christiana perficit hominem », « Humilitas christiana » est *subjectum*; « perficit hominem », *passio*; « omnis virtus perficit hominem » et « humilitas christiana est virtus », sunt *principia*.

Praecognitiones demonstrationis sunt duo modi, quibus praecognita sunt praecognoscenda (V. Praecognita). Primus modus est, cum de objecto cognoscitur *quod est*, sive *an sit*, cognoscendo, nempe, rem esse, vel propositionem, qua utimur ad demonstrandam aliam, esse veram. Secundus modus est cum cognoscimus *quid est*. Cognitio autem *quid est* alia est cognitio *in quid nominis*, quae importat conceptum hominis; alia est cognitio *in quid rei*, quae importat ipsius rei definitionem. Sic in allata demonstratione (V. Praecognita) opus est praecognoscere veram esse propositionem: « Omnis virtus perficit hominem », et « christiana humilitas est virtus », adeoque et praecognoscere quid sit « humilitas christiana », et quid sit « perficere hominem ». — « Nihil volitum quod non sit praecognitum »: axioma, quod reduci potest ad illud: « Ignoti nulla cupido ».

Praedicabilia dicuntur ista quinque attributa universalis, scilicet pluribus communia: *Genus, Species, Differentia, Proprium, Accidens*. Quid sit *Genus, Species, Differentia* passim notum est. *Proprium* quod attinet, hoc nomine intelligitur id, quod etsi essentiam non constituat, ipsam tamen per se, ac necessario consequitur. *Proprium* autem in quatuor modos, quibus dari potest, distinguitur: *primo modo* est, quod convenit soli speciei, sed non omni individuo, ut esse medicum respectu speciei humanae; *secundo modo*, quod convenit omni individuo, sed non soli, ut esse bipedem; *tertio modo*, quod convenit omni et soli individuo, sed non semper, ut ridere; *quarto modo*, quod convenit omni et soli individuo et semper, ut esse risibilem. Nomine autem *accidentis praedicabilis* non intelligitur accidens, ut opponitur substantiae, sed accipitur pro eo, quod contingenter advenit aliqui, sive sit substantia, ut vestis, sive accidens, ut albedo. Quinque ista dicuntur *praedicabilia*, vel quia solum praedicari possunt de rebus per opus mentis, quae reflectendo super rerum proprietates statuit ista quinque attributa indefinita et universalis; vel quia modum exhibent, quo unumquodque attributum de re enuntiaripotest; omne enim attributum, quod de alio dicitur vel ut *Genus*, vel ut *Species*, vel ut *Differentia*, vel ut *Proprietas*, vel ut *Accidens* dicitur. — *Praedicabilitas* est aptitudo unius ut de multis dicatur.

Praedicamenta. *Ante-praedicamenta* sunt *univoca, aequivoca, analoga*. V. Univocum. Ita appellantur a veteribus, quia doctrina illorum affert lucem, ut intelligatur praedicamentum.

Praedicamenta, sive *Categoriae* Aristotelis dicuntur ista decem: *Substantia, Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Passio, Ubi, Situs, Quando, Habere*. V. verba singularia. Ita dicuntur vel quia insunt rebus a parte rei, et de ipsis affirmantur sine reflexione intellectus, secus ac *praedicabilia*; vel quia exhibent attributa ipsa, quae enuntiantur secus ac *Praedicabilia*, quae exhibent modum, quo enuntiantur. V. *Praedicabilia*. — *Praedicamenta* sunt decem, quia decem sunt et non plures quaestiones, quae de quolibet individuo fieri possunt, nempe: Quid est? Quantum est? Quale est? Ad quid refertur? Num quid agit? Num quid patitur? Quo in loco est? Quo situ? Quo tempore? Quo indumento, vel ornatu?

Post-praedicamenta sunt ista quinque: *Oppositio, Prioritas, Simultas, Motus, Habere*. V. verba sin-

gula. Ita autem dicuntur, quia de his agit Aristoteles postremis capitibus.

Praedicamentaliter sumitur aliquod attributum, quando sumitur ut unum ex illis decem, quae praedicamenta dicuntur. V. *Praedicamenta*. Correlativum est *Transcendentaliter*, quod indicat sumi attributum prout exsuperat seriem praedicamentorum, et omnibus omnino rebus convenit, ut esse bonum, verum, unum. V. *Transcendentale*. Sic, e. g., peccatum est *praedicamentaliter* malum, et *transcendentaliter* bonum.

Praedicari unum de alio idem est ac unum de alio affirmari. Ab hoc verbo, praedicari, multa alia derivantur a veteribus adhibita. — *Praedicari in quid* est enuntiaripotest de alio essentialiter et per modum subsistentis, ut animal et homo de Socrate, virtus de justitia. — *Praedicari in quale* quid est enuntiaripotest de alio essentialiter quidem, sed per modum adiacentis, ut rationale de homine. — *Praedicari in quale simpliciter* est enuntiaripotest de aliquo accidentaliter tantum, ut risibile et album de homine.

Praedicatio est actus intellectus unum alteri attribuentis, ut cum dico: Coelum est mobile. — *Praedicatio naturalis* est qua intellectus attribuit rei quod rei ex natura sua convenit, ut: animal est sensitivum. — *Praedicatio directa, ordinata et artificiosa* est qua superius de inferiori, aut id quod se habet per modum formae de eo quod se habet per modum materiae dicitur, ut: homo est animal, nix est alba. — *Praedicatio identica* est in qua idem de seipso et eodem modo enuntiat, ut: Petrus est Petrus. — *Praedicatio indirecta seu contra naturam, seu inordinata* est: in qua inferius de superiore, vel id quod se habet per modum materiae, de eo quod se habet per modum formae dicitur, ut: animal est homo, album est nix. — *Praedicatio praeter naturam* est in qua praedicatum non est superius, nec forma subjecti, sed utrumque est forma alicuius terti, propter quod ipsa de se invicem dicuntur, ut: album est dulce, dulce est album respectu lactis in quo sunt dulcedo et albedo. — *Praedicatio essentialis* est in qua totum praedicatum est de essentia subjecti, ut: animal est vivens sensitivum. — *Praedicatio accidentalis* est cuius praedicatum totum, vel ejus pars, non est de essentia subjecti, ut: ignis est elementum calidum. — *Praedicatio propria* est in qua tam verbum quam praedicamentum in sua propria significatione sumuntur, ut: calor est qualitas. — *Praedicatio impropria* est in qua verbum, vel praedicatum in significatione impropria sumitur. — *Praedicatio comitativa* est in qua quod praedicatur subjectum necessario et semper comitatur, ut: generatio unius est corruptio alterius. — *Praedicatio intrinseca* est in qua praedicatum subjecto realiter inest, sive essentialiter, sive accidentaliter, ut: homo est animal, homo est philosophus. — *Praedicatio extrinseca* est in qua praedicatum subjecto non inest, sed ei tantum convenit per extrinsecam denominationem, ut: paries est visus, animal est genus.

Praedicatum est quod actu de alio enuntiat, ut: Petrus est homo. Vox latina *praedico* idem sonat ac vox graeca *παραγορεύω*, quam Aristoteles usurpat.

Praerequisita ad operandum illa sunt, quae requiruntur ex parte causae, et sine quibus causa intelligi non potest proxime expedita ad operandum, ut ipsius causae existentia. *Requisita ad operandum* sunt ea, sine quibus effectus esse non potest, quae tamen intelligi non debent ex parte causae; ut relate ad *scientiam visionis*, quae in

Deo est, quae, scilicet Deus necessario videt res omnes existentes, existentia ipsa rerum, quae videntur, est *requisita* ad illam scientiam.

Praescindere idem est ac facere praecisionem. V. Praecisio.

Praesciti, ita vocantur reprobati, quia Deus est auctor eorum probationis, nisi quatenus est scelerum justus vindex: qui vero ad vitam aeternam sunt electi dicuntur *praedestinati*.

Praesentia, V. Circumscriptiva.

Praesuppositive aliquid dici idem est ac prius illud supponere in aliquo discursu; ut qui asserat hominem posse mereri et demereri, *praesuppositive* dicit illum esse liberum.

Praeter propter, idem ac circiter, plus minus.

Primum et **prius** differunt, quia primum dicitur per privationem anterioris, prius autem per comparisonem ad posterius. — Primum *alterans*, ita designatur primum coelum, cuius motus habebatur ut principium alterationis et corruptionis entium in hoc mundo sublunari. — Primum *mobile*. V. Mobile.

Principiare idem ac esse principium.

1. **Principiatum** significat quodcumque a principio provenit: hinc etiam Filius in divinis interdum dicitur *principiatum*.

2. Principiatum idem aliquando sonat ac causatum, et hoc sensu dici potest solum de iis, quae habent causam.

1. **Principium individuationis** est id, per quod res quaelibet est ea, quae est, potius quam alia, et ab alia quaelibet distinguitur. Omnis enim res hac proprietate gaudet, ut sit una, singularis, individua, quae proprietates dicitur etiam: *Individualitas*, *Singularitas*, *Differentia numerica*, *Haecceitas*, quae nempe sit, ut res sit haec et non alia; exprimitur etiam nomine desumpto a nomine ipsius rei, cuius est proprietates. Sic individualitas Petri dicitur *Petreitas*, Pauli, *Pauleitas*. De principio individuationis, in quoniam praecise situm sit, multa quaerunt philosophi.

2. Principium *quod* est persona, vel suppositum, cui attribuitur operatio, seu denominatio operantis. — Principium *quo*, est id, quod agit ut pars, vel virtus suppositi, hoc est, illud a quo immediate oritur actio. Ita, v. g., persona Petri est principium quod volitionum Petri, voluntas vero Petri est principium quo.

3. Principia *generationis* sunt quae neque ex aliis, neque ex se invicem, sed ex quibus omnia fiunt; sunt autem materia, forma et privatio. — Principia *compositionis*, seu rei genitae, sunt ea ex quibus permanentibus constituitur corpus naturale, ut sunt materia et forma. — Principia *metaphysica* sunt ea ex quibus res componi metaphysice et per rationem intelligitur; ut animal et rationale respectu hominis.

Prior. *A priori* res demonstrari dicitur, cum posterius per prius, nempe effectus per causam probatur, rei proprietates per essentiam; v. g., dum lunae eclipsis per interpositionem terrae probatur; vel animae immortalitas per eius spiritualitatem. — *A posteriori* vero, dum prius per posterius probatur, nimirum causa per effectum, et rei natura per proprietatem; v. g., dum spiritualitas animae ex eius cogitatione deducitur, vel vita animalis ex eius respiratione. — Demonstratio *a priori* dicitur etiam demonstratio *propter quid*, praesertim dum agitur de causa proxima; *a posteriori* dicitur etiam demonstratio *quia*. — *A quasi priori* demonstrari res dicitur, cum probatio desumitur ex ipsius rei probandae natura, ut v. g. dum Dei existentia ex ipsius Dei natura inferitur, ut entis perfectissimi. — *A concomitanti* vero, dum res probatur ab aliquo cum ea connexo, quod tamen

non sit ejus aut causa, aut effectus; ut si probaretur corpus existere in loco, quia existit in tempore.

Prius et **posterius** idem sonat ac absolutum et secundum quid, v. g.: haec divisio est secundum prius et posterius, 1-2. q. 26. art. 4.

1. **Prioritas a quo** est omnis prioritas naturae (V. hoc verbum); nam eatenus causa est natura prior, quatenus est id. a quo effectus accipit esse. — **Prioritas in quo** interdum accipitur pro prioritate temporis; interdum pro prioritate naturae, non cuiusque causae, sed illius, quae non est essentialiter connexa cum effectu, seu quae potest existere, quin effectum producat, ut causa libera — **Prioritas in quo** secundo hoc modo sumpta vocatur etiam *perfectae praecisionis*; talis enim causa et esse et concipi potest sine effectu. V. Praecisio.

2. **Prioritas inconnexionis** datur in illis causis, quae non sunt necessario connexae cum effectibus, ut in voluntate respectu actuum liberorum.

3. **Prioritas temporis**, sive esse prius tempore, significat praecedere aliud duratione, ut Alexander Caesarem. — **Prioritas naturae**, seu esse prius natura, indicat esse causam alterius, vel saltem praerequisitum, vel conditio se tenens ex parte causae; sic sol habet prioritatem naturae respectu lucis. — **Prioritati temporis** opponitur *Simultas temporis*, quae datur in iis, quae eodem tempore, sive simul existunt. — **Prioritate naturae** opponitur *Simultas naturae*, quae datur in iis, quae per eandem actionem producuntur, ut lux et calor. V. Modi prioris et posterioris.

Privatio ab Aristotele definitur negatio formae in subjecto apto illam habere (Metaph. lib. 5 cap. 22.). — «A privatione ad habitum (nempe ad formam amissam) non est regressus» (axioma); v. g. non est naturaliter regressus a morte ad vitam, et ab omnimoda caecitate ad visum. Hoc tamen intelligendum de naturali regressu, seu de naturali recuperatione ejusdem numero formae, autem etiam de recuperatione immediata formae ejusdem speciei, quando forma non potest applicari, nisi post varias transmutationes materiae, ut in exemplis positus. Secus fallit axioma.

Pro implicito, vel **explicito** idem est ac implicitum vel explicitum. Idem dicendum de aliis adjectivis, quibus unitur praepositio *pro*, v. g.: «pro materiali», «pro formali», «pro expresso».

Proloquia, *profata*, *paroemiae*, *effata*, *dignitates* idem sunt ac axiomata.

Proportio secundum primam nominis impositionem significat habitudinem quantitatis ad quantitatem, secundum determinatum excessum, vel adaequationem; sed transfertur ad significantiam habitudinem quorumcumque, sicut materiae ad formam, potentiae ad actum, objecti ad potentiam, finiti ad infinitum, et creaturae ad creaturam. — **Proportio arithmetica** est quae consistit in aequalitate numerorum, secundum excessum et defectum, ut: sex aequaliter superant tria et separant a novem. — **Proportio geometrica** est quae consistit in aequalitate proportionum, ut: sicut se habent octo ad quatuor, sic duodecim ad sex.

Propositio idem est quod enuntiatio, nisi quod propositio dicitur in ordine ad argumentationem. — **Propositio prima** seu *immediata et indemonstrabilis*, est quae non habet medium per quod probetur a priori, ut: omnis homo est animal. — **Propositio per se nota** est cui ex sola terminorum penetratione assentitur intellectus, ut: omne totum est majus sua parte. — **Propositio per se nota secundum se** dicitur ea quae a

parte rei est evidens, sed tamen quoad nos demonstratione indiget, ut Dei existentia. — Propositio per se nota *secundum se et quoad nos* est propositio evidens in se et quae ita ab intellectu humano percipitur sine demonstratione, ut principia matheseos. — Propositio de *praedicato universalis* est ea cujus praedicatum cum subjecto reciprocatur, et conversim dicitur, id est, nec latius, nec minus late patet, ut: omnis homo est rationalis.

1. **Proprium** est unum ex quinque attributis universalibus. V. Praedicabilia. — Proprium *primo modo* est quod convenit soli, non toti, id est quod convenit alicui speciei soli, non tamen omnibus ejus individuis, ut homini esse medicum. — Proprium *secundo modo* est quod convenit toti, non soli, id est quod inest omnibus alicuius speciei individuis, non tamen solis, ut esse bipedem omnibus, sed non solis hominibus. — Proprium *tertio modo* est quod convenit soli et toti, non tamen semper, ut homini in senectute canescere. — Proprium *quarto modo* est quod convenit soli, toti et semper, ut homini esse admirativus.

2. Proprium interdum opponitur *communi*, ut cum dicitur: Hominis proprium est ratiocinium; scilicet, ratiocinium ita est proprium hominis, ut non sit commune aliis animantibus. Interdum opponitur *extraneo*, vel *alieno*, sive *praeter naturam*, ut cum dicitur: Hominis proprium est cibum capere, loco moveri; scilicet, illae proprietates non sunt alienae, sed connaturales homini, licet etiam aliis animantibus communes.

« Propter quod unumquodque tale, et illud magis »; axioma, cujus sensus est: Quod in aliquo ente reperitur, magis reperitur in illo, a quo illud tale sumptum est; v. g. si lignum est calidum propter ignem, ipse ignis debet esse magis calidus. Et ratio est, quia proprietates effectus magis semper continentur in causa, quae illas proprietates produxit. Axioma sic acceptum locum habet solum, ut patet, in iis quae suscipiunt *magis et minus*. Explicari etiam potest relate ad causam finalem; v. g. si medicina amatur propter salutem, magis amatur salus. Hoc tamen verificatur solum, dum praedicatum, in quo fit comparatio, inest utriusque extremo, ut in exemplo medicinae et salutis, quae ambae amari possunt; aliter dicendum esset, si praedicatum non esset commune, ut, v. g., ex eo, quod homo sit creatus propter Deum, male inferretur Deum esse magis creatum.

Punctum est indivisibile quantitatis omni prorsus dimensione carens. — Puncta *continui*, V. Continui.

Q

Qualitas, late sumpta, est quicquid substantiam quoquo modo perficit ac determinat; et sic quilibet modus, ut unio; quodlibet accidens, ut paternitas, dici potest qualitas. — Qualitas *substantialis* est forma substantialis seu physica, seu metaphysica, materiam vel genus contrahens et determinans, ut anima, rationalitas. — Qualitas *proprie dicta* est secundum quam aliquid denominatur quale.

1. Qualitas est, juxta veteres, *accidens absolutum*, quod rei jam in genere suo completae advenit, eique tribuit aliquam denominationem. — Qualitates aliae sunt *corporeae*, ut color, odor, sapor, quae, nempe, corpus afficiunt. Aliae *spirituales*, quae nimirum spirituum propriae sunt; eaeque vel naturales sunt, ut habitus scientiarum, virtutes pure morales, vitia; vel *superna-*

tales, ut character sacramentalis, lumen gloriae, gratia sanctificans et habitus virtutum omnium supernaturalium. — Quatuor autem sunt Qualitatum species. Ad primam pertinent *Habitus et Dispositio*. Habitus est qualitas difficile mobilis a subjecto, seu quae difficile auferatur, ut virtus, vitium (V. etiam Habitus). Dispositio, quae dicitur etiam *inchoatus habitus*, est qualitas facile mobilis a subjecto, ut sanitas, morbus. Ad secundam pertinent *Potentia et Impotentia*. Potentia est qualitas subjectum habilitans ad operandum, ut in homine visus acutus. Impotentia est qualitas subjectum impediens, aut retardans ad operandum, ut stultitia. Ad tertiam speciem qualitatis pertinent *Passio et Passibilis qualitas*. Passio, ut hic sumitur, est qualitas alterationem causans et cito transiens, ut pallor ex metu et rubor ex verecundia. Passibilis qualitas dicitur, quae alterationem causat, et diu permanet, ut pallor ex aegritudine. Ad quartam speciem pertinent *Forma et Figura*. Forma hic sumitur pro externa corporis specie ex dispositione partium resultante. Figura sumitur pro terminatione extensionis qua redditur corpus rotundum, quadratum, etc.

2. Qualitas interdum late sumitur pro attributo quocunque, quod enuntiat de re, cum quaeritur *qualis* res ipsa sit. — Qualitas *activa* ea est per quam corpora agunt, ut calor. — Qualitas *passiva* ea est per quam aliquid recipiunt; ut lignum potest comburi.

3. Qualitates corporum *primae* sunt istae: *Calor, Frigus, Humiditas, Siccitas*; hae quippe, juxta veteres, cum quatuor elementis, igne, scilicet, terra, aqua, aere fuerunt initio mundi productae, et iisdem elementis sunt connaturaliter debita ex propria indigentia, et nullam aliam qualitatem per se supponunt. Aliae vero qualitates, quae vel aliquam ex his primis supponunt, vel ex iisdem variae contemperantur resultant, ut colores, sapes, durities, gravitas, dicuntur qualitates *secundae*. — Illae autem, quae sunt in corpore occultae, et non sentiuntur tactu, ab aliquibus inter veteres dicuntur qualitates *neutrae*.

Quando, seu *duratio* est id, per quod res determinatur ad tale tempus. V. Duratio.

Quantificare. Hoc verbum dicebatur de quantitate materiae, quae simul reddebat *quantum*, id est extensam et impenetrabilem tam formam, quam qualitates compositi.

1. **Quantitas** est id, per quod res corporea est capax dimensionis, et potest augeri et minui. Eam esse aiebant *accidens absolutum* realiter a materia distinctum, ipsique adveniens, a materia tamen naturaliter inseparabile. V. Accidens absolutum. — **Quantitas virtutis** est perfectio quae libet seu substantialis, seu accidentalis, a qua subjectum dicitur quantum; ut philosophi a quae potest magis minusve dignosci. — **Quantitas realis** vel *quantitas dimensionis* ea est quae ab extensione pendet, et tantummodo est corporibus applicabilis.

2. **Quantitas continua** est, cujus partes sunt unitae, ut quantitas tabulae; *discreta* est, cujus partes non sunt unitae, ut quantitas numerus.

3. **Quantitas permanens** est cujus partes possunt simul tempore omnes consistere, ut linea. — **Quantitas successiva** est cujus partes nunquam sunt simul; sed continuo fluenter sibi invicem succedunt, ut tempus, motus.

Quantus, quanta, quantum dicta sine ullo termino addito indicant res, quae habent attributum *quantitatis*. Sic *qualis, quale* similitur sumpta indicant quae habent qualitatem. Ita aiebant materiam primam nec esse *quantam*, nec esse *qualem*, id est ex se neque quantitate,

neque qualitate ulla praeditam esse. V. *Materia prima*. — Quantum *per se* est quod per se extensionem habet, ut linea, superficies. — Quantum *per accidens* est quod ab alio extenditur, ut materia.

Quartana. Febris quartana ea est quae quarto quoque die recurrit. «Quartanam sperantibus aegris» (Juv. Sat. 4. 56).

Quid. In *quid praedicari* idem est ac affirmare de aliquo subjecto praedicata essentialia; per haec enim definitur quid sit res, et ideo dicitur «praedicari in quid». Quod sic haec praedicata significantur terminis substantivis quod veteres dicebant «instar per se stantis», v. g.: aurum est metallum, Petrus est homo, tunc ea praedicari dicuntur *in eo quod quid*, seu *pure in quid*. Si autem talia praedicata significantur terminis adjectivis, et, ut veteres aiebant, «per modum adjectivis», v. g.: homo est sensibilis, rationalis, tunc ea praedicari dicuntur *in quale quid*. Tandem si attributa non essentialia, sed mere accidentalia affirmantur de aliquo subjecto terminis adjectivis, v. g.: aurum est lucidum, Petrus est albus, tunc ea praedicari dicuntur *pure in quale*.

Quidditas est ipsa rei entitas considerata in ordine ad definitionem explicantem *quid* illa sit. Entitas vero rei considerata in ordine ad esse, dicitur *essentia*; in ordine ad operationem dicitur *natura*. — *Quod quid est* idem sonat ac quidditas, V. *Essentia*.

«**Quidquid** movetur ab alio movetur» (axioma); nam 1. nullum corpus movetur, nisi impetus alterius; 2. nullus effectus producit, nisi ab alia causa; 3. nihil fit in universo sine concursu causae primae.

«**Quidquid** potest causa prima cum secunda, id potest sola causa prima»; axioma, cujus ratio in omnipotentia Dei fundatur, a qua creaturae suam, quam habent vim acceperunt. Non valet autem in iis, quae si a solo Deo producerentur, involverent contradictionem, sicque actio libera hominis non potest a solo Deo provenire servata hominis libertate, aliter esset libera et non libera.

«**Quidquid** recipitur, ad modum recipientis recipitur» (axioma). Modus recipientis, ut hic accipitur, est capacitas et dispositio subjecti, quod recipit. Manifestum est autem quod quidquid recipitur, recipitur semper eo modo, eaque proportionem, quam fert propria capacitas et dispositio. Sic eadem lux tribuit corporibus diversas coloris denominationes pro corporum ipsorum diversa dispositione.

Quinta essentia dici solet coelum, quia nec est coelum, nec constat elementis: dicitur porro quinta essentia Peripateticorum, quia coelorum naturam Aristoteles clarius exposuit quam antiquiores philosophi.

Quod. *A quo* indicat principium, a quo aliquid provenit; *ad quem* vel *ad quod* indicat terminum, ad quem aliquid tendit; *cui* indicat illud, cui, vel in cuius gratiam fit. Sic eleemosyna est a charitate ut *a quo*, tendit ab sublevationem pauperis ut *ad quod*, et est obsequium Deo praestitum ut *termino cui*.

«**Quod** est prius in intentione est posterius in executione». V. *Ordine intentionis*, etc.

Ut quod importari illud dicitur, quod est subjectum suscipiens praedicata, seu denominationes illi proprias. *Ut quo* vero illud importari dicitur, quod est ratio, propter quam subjectum suscipit tales denominationes; v. g. in hac propositione: Justus est filius Dei; homo, qui justus est, importatur ut quod; ipse enim est filius Dei; justitia autem importatur ut quo, quia

justitia est ratio et veluti forma habilitans bonum ad hoc ut sit filius Dei.

R

Radicaliter, V. *Formaliter* 2. 4.

Radicare, vel *Radicaliter esse* significat esse principium exigens aliud, seu veluti radix, a qua profuit aliud, quod dicitur *Radicaliter*. In homine, e. g., rationalitas radicare dicitur risibilitatem, risibilitas autem dicitur in rationalitate radicata. Sic etiam, juxta veteres, quaevis forma substantialis *radicabat* suas proprietates, ut forma ignis calorem.

Raritas est qualitas secundum quam res dicitur habere parum materiae sub magna extensione. — *Rarefactio* est motus ad raritatem, ut dum aqua calefit, rarescit. — *Rarum* est quod sub magnis dimensionibus parum obtinet materiae, ut spongia.

Ratio interdum idem est quod intellectus, et sic dividitur in speculativam et practicam — Interdum vox illa sumitur pro actione intellectus, maxime discursiva. — Interdum pro rei definitione; in Praedicamentis, cap. 2., univoca sunt ea, quorum est idem nomen, ratio vero substantialis nomini accommodata omnino eadem. — Interdum pro causa finali; pro causa formali aut quacumque. — *Ratio rei*, id est ejus essentia; proprietates ex quibus constat, sive quod pertinet ad illius naturam; v. g.: ratio aureae aut coronae competit Christo, sed non ei competit ratio aureolae. — *Ratio idem sonat ac respectus*, v. g.: ut adsit contradictio, idem de eodem negandum et affirmandum est sub eadem ratione; id est, sub eodem respectu.

1. *Ratio formalis* constituitur attributis essentialibus rei, prout illa sunt in mente nostra, sive in definitione. — *Ratio vero obiectiva* constituitur iisdem attributis, prout sunt in re ipsa. V. g. hic conceptus: animal rationale, est ratio formalis hominis, homo ipse est ratio obiectiva.

2. *Ratio formalis rei* aliquando etiam denotat id, quod in re gerit munus formae; nempe id, quod est ratio, ut res talis sit; v. g. cognitio dicitur *ratio formalis*, quia potentia redditur cognoscens.

3. *Ratio formalis*, V. *Obiectum formale*.

Ratio proxima et *remota* idem fere sonant ac causa proxima et remota. Dicitur *est fere*, nam nomine rationis non semper intelligitur causa stricte talis, sed etiam vel *ocasio*, vel *objectum formale*, vel *modus operandi*.

Ratio particularis est potentia quae vocatur *aestimativa* in animalibus, et eis dat aliquid simile rationi et intelligentiae, quod gallice dicitur *instinctus*.

Rationale dicitur dupliciter, scilicet omne intellectuale et cognoscens cum discursu; primum convenit Deo et angelis; non autem secundum, sed est differentia animalis. — *Rationale materialiter* est quod habet in se principium ratiocinandi, ut homo. — *Rationale formaliter* est principium ratiocinandi et differentia hominis constitutiva, ut rationalitas.

Reagens, V. *Passum*.

Realitates vocantur attributa illa, quae sunt inter se identificata, ut attributa Dei et facultates animae. Hae enim singillatim sumpta non concipiuntur ut res, seu ut totum aliquid intergrum, sed concipiuntur ut aliquid rei, et ideo dicuntur *realitates*, vel etiam *aliquitates*.

Realiter, V. *Formaliter* 5.

1. **Rectum.** In *recto aliquid importari* significat illud, quod est subjectum suscipiens prae-

dicata ac denominationes in aliquo concreto, vel quod in propositione aliqua affirmatur cum tali subjecto identificatum. — In obliquo autem illud importari dicitur, quod non est quidem tale subjectum, sed est aliquid pertinens ad illud, vel ad praedicatum. V. g. in termino *albus*, significatur in recto res, quae est alba, albedo vero in obliquo. Etenim in hac propositione: *Paries est albus*, identificatur res, quae est alba cum pariete, non vero albedo identificatur cum pariete; nam verum quidem est: *Paries est res habens albedinem*; falsum est autem: *Paries est albedo*. V. Ut quod.

2. In recto importari etiam dicitur, quod est in casu recto, seu nominativo, regens orationem. — In obliquo, quod est in genitivo, aut alio casu dependenti quidem a nominativo, sed tanquam quid extrinsecum regenti principali orationem. V. g.: *Liber Petri, Filius consubstantialis Patri*; in his *liber* et *Filius* importantur in recto, *Petrus* et *Pater*, in obliquo.

1. **Reductive** aiebant praedicatum aliquod convenire partibus compositi, quod directe convenit toti composito. Sic praedicatum «*homo*» dicitur directe de Petro, reductive de ejus corpore.

2. Reductive etiam idem est ac analogice. V. hoc verbum.

Reduplicative sumitur terminus, sive *Reduplicatio* fit quando termino apponitur: *ut, prout, quatenus, inquantum*, aliudve simile, vel geminando eundem terminum, vel alium addendo ut indicetur sensus, in quo primus terminus sumitur, vel ratio, cur praedicatum conveniat subjecto: v. g.: *animal, ut animal, ratiocinari non potest*; *Christus inquantum homo passus est*; *Paulus quatenus sacerdos est honore dignus*. — V. *Materialiter* 2., *Identice*, *Specificative*.

Reflexe, V. **Directe**.

Refundere perfectionem in actum, plerumque dicitur de causis moralibus, et quidem praecipue de causa finali, a qua peculiariter actus evadit bonus, vel malus.

Regressus demonstrativus, V. **Circulus materialis**.

Regula est aliquid certum, notum, fixum, cui conformari debet res, aut actio, ut recta vel bona dicatur; ut motus coeli dicitur regula motuum sublunarium.

«*Regula est prior regulato*» (axioma), cujus sensus satis manifestus est. Prius enim intelligenda est regula, quam id quod juxta regulam faciendum est. Sic pingendi regulae prius intelligendae sunt, quam pictura ad regulas exacta.

1. **Relatio** est respectus, ordo unius ad alterum. — **Relationis objectum** est id quod in se relationem recipit, ut: *Petrus* est subjectum paternitatis. — **Relationis terminus** est quod terminat relationem in alio existentem, ut *pater* est terminus filiationis et *filii* paternitatis. — **Relationis fundamentum** est id quod causa est subjecto, ut referatur ad aliud, ut: *albedo* est fundamentum similitudinis inter *nivem* et *cerussam*. Haec causa quoque dicitur *ratio fundandi, fundamentum proximum, fundamentum relativae denominationis*. — **Ens relativum**, quod intelligi non potest sine alio, ut dominus, similis, aequalis. Huic opponitur **ens absolutum**, quod intelligitur sine ullo alio, ut homo. — **Relativum ens** dicitur etiam **ens ad aliud, ens ad aliquid**; **absolutum vero, ens ad se**. V. **Respectus**.

2. **Relatio aequiparantiae** est, quae eodem modo denominat utrumque extremum, ut **relatio similitudinis, aequalitatis**. — **Relatio disquiparantiae** est, quae extrema diversimode denominat, ut **relatio patris et filii, majoris et minoris**.

3. **Relatio, seu conceptus in**, est illud, in quo fundatur relatio consideratum in uno vel altero extremo sine ordine ad aliud, sive prout illi solum inhaeret; quod dicitur etiam **relatio fundamentalis**. — **Relatio, sive conceptus ad**, est illud ipsum, in quo fundatur relatio, spectatum prout referatur ad aliud, quod dicitur etiam **relatio formalis**; v. g., *albedo*, prout praecise est in Petro, vel in Paulo, dicitur relatio *in*; *albedo* vero Petri spectata in ordine, seu comparatione ad *albedinem Pauli*, dicitur relatio *ad*.

4. **Relatio mutua** ea est, quae datur inter extrema, quae sese invicem respiciunt, ut inter creatorem et creaturam; sicut enim creatura sine creatore esse non potest, ita neque creator ut talis sine creatura. — **Relatio non mutua**, quae potius dicenda esset non mutua connexio, inter illa datur, quorum unum est connexum cum altero, sed non vicissim, ut inter Deum et creaturam; nam potest Deus esse sine creatura, non vicissim.

5. **Relatio, ordo transcendentalis** est, quia identificatur cum eo, quod refertur, nec ab eo separari potest, ut relatio actionis ad effectum, cognitionis ad objectum. — **Relata transcendentalia** sunt res absolutae quae essentialem ordinem dicunt ad aliud, ut causam, subjectum, vel objectum. — **Relatio, ordo praedicamentalis** est, quae non ita identificatur, sed veluti accidentalis est illi, quod refertur, ut similitudinis vel majoritatis.

6. **Relationis praedicamentalis** triplex est genus; primum est earum relationum, quae fundantur in unitate et numero, quod apud veteres idem sonabat ac convenientia, vel disconvenientia, ut similitudinis, dissimilitudinis, aequalitatis et inaequalitatis; secundum earum, quae fundantur in actione et passione sive physica, sive logica, ut productis et producti, cognoscentis et cogniti; tertium earum, quae fundantur in mensura et mensurabili, ut relatio scientiae ad scibile: perfectionem enim scientiae ex objecto communiter metimur; imo generatim cujuscumque potentiae ad suum objectum; unde, ut patet, hic non agitur de mensura materiali, quae potius ad primum genus spectat. — **Hac genus relationum triplex distinguitur**: **Relationes primi generis** sunt quae fundantur in unitate et numero substantiae, quantitatis aut qualitatis ut identitas, aequalitas, similitudo; — **Relationes secundi generis** sunt quae fundantur in actione et passione, ut paternitas et filio, relatio doctoris et discipuli; — **Relationes tertii generis** sunt quae fundantur in mensura et mensurabili; ut relatio intellectus ad intelligibile. Per mensuram intelligit Philosophus potentiarum et habituum objecta; per mensurabile ipsas potentias et habitus.

Remissio juxta vim ipsam nominis adhibetur, scilicet significat diminutionem, seu decrementum, v. g. *caloris* in corpore, vel idearum animi, quatenus una potest esse minus clara, minusve adaequata quam altera. — **Remissive** de aliqua re agi, est ita de ea agere, ut fusior ejusdem tractatio in alium locum remittatur.

Removens prohibens est illud, quod removet impedimentum ad aliquid praestandum; sic qui solvit vincula, quibus Petrus tenebatur, is dicitur concurrere ad deambulationem Petri tanquam **removens prohibens**.

Repassum, V. **Passum**.

Reproductio est nova et secunda rei productio. Correlativa est **Adductio**, quae est veluti conductio, sive approximatio unius rei ad novum locum. Sic praesentiam Christi in Eucharistia alii explicant per reproductionem, sive per hoc, quod corpus Christi denuo producatur in hostia consecrata; alii per adductionem, sive per hoc, quod

adducatur ad novum locum, seu acquirat novum locum in hostia consecrata. V. Secundum esse.

Repugnantia sunt quae de eodem singulari simul vere affirmari non possunt, ut album et nigrum.

Res. «Secundum rem» idem ac a parte rei: «secundum rationem» idem ac per intellectum. Eandem vim habent: secundum esse, secundum dici.

Respective, V. Absolute.

Respectus *ab* est relatio rei ad principium, a quo provenit, ut creaturae a creatore. — **Respectus** *in* est relatio ad subjectum, in quo est, ut qualitatis cujusvis ad subjectum, in quo est. — **Respectus** *ad* est relatio ad terminum, ad quem res est ordinata, ut actionis ad effectum. — **Respectus** *ex* est relatio ad subjectum, ex quo res esteducta, ut figurae statuae ad marmor, ex quo fit. V. Eductio.

Reubau, V. Transcendentales.

S

Scientia late est cognitio quaelibet vera et certa, ex principiis certis, licet non demonstrativis comparata, et sic artes omnes interdum dicuntur scientia. — **Scientia proprie dicta** est cognitio per demonstrationem acquisita. — **Scientia habitualis** est habitus certus, verus et evidens rei necessariae per propriam causam. — **Scientia speculativa** est ea quae in sola objecti contemplatione et veritatis cognitione occupatur et conquiescit, ut *Metaphysica, Mathematica*. — **Scientia practica** est ea quae suam cognitionem ad opus vel ad actionem refert, ut *Logica, Ethica*. — **Scientia subalternans** est a qua altera ita dependet, ut ab ea sua principia mutuatur, verseturque circa idem objectum accidentaliter tantum diversum; ut *Arithmetica* respectu *Musicae*. — **Scientia subalternata** est scientia inferior quae superioris conclusiones pro suis principiis sumit, habetque idem objectum, accidentali tantum differentia contractum, ut *Musica* respectu *Musicae*: illa enim numerum, haec numerum sonorum considerat. — **Scientia approbationis** est ea qua Deus cognoscit bonum quod approbat. — **Scientia improbationis** ea est qua cognoscit peccatum quod damnat. — **Scientia simplicis intelligentiae** ea est qua cognoscit res mere possibles, quae nunquam extiterunt et nunquam existent. — **Scientia visionis** est ea intentio qua Deus seipsum noscit, et quidvis sit praeteritum, vel praesens, vel futurum. — **Scibile** est quod scribi potest sive objectum scientiae.

Secundum, sive novum esse rei, est determinatio alicujus rei existentis ad existendum novo titulo, seu ex virtute et efficacia novi principii; v. g. si *A* et *B* essent duae causae aequae potentes singulae producere totum effectum *C*, si causa *A* illum primo produceret, effectus *C* haberet ab *A* primum esse rei, sive per *A* transferretur de non esse ad esse. Si postea causa *B* suam vim productivam exereret, jam effectus *C* per eam determinaretur ad existendum novo titulo, quae determinatio dicitur secundum esse. — **Secundum quid** dictum est quod de rei determinatione per aliquam adjectionem diminuit, ejusque tantum partem, proprietatem, vel aliqualem rationem inluit; ut *Aethiops* est albus secundum dentes. Opponitur ad *simpliciter* aut *absolute*. V. Absolute.

Secundum rem, V. Res.

Secus si secus dicitur brevitas causa, cum nimirum propositio aliqua admittitur ut vera uno sensu, et rejicitur in alio, vel aliis sensibus, vel saltem ab aliis praescinditur. Ex. gr. corpus terreste si sibi relinquatur, nunquam recedeta di-

rectione versus terrae centrum: secus si secus, id est si non sibi relinquatur, sed agatur externa vi, poterit ab ea directione recedere.

Sensibile proprium est quod per se, vel per propriam speciem ab uno tantum sensu externo sine errore percipitur; ut lumen ab oculis, sonus ab auribus percipitur. — **Sensibile commune** est quod a pluribus sensibus externis per modificatas propriorum sensibilibum species percipitur; ut quantitas, distantia. — **Sensibile per accidens** est quod nec per propriam, nec per modificatam alterius speciem, sed per aliud tantum, cum quo conjunctum est sub sensus externos cadit, ut substantia materialis.

Sensus est facultas animae cognoscitiva objectorum materialium et singularium. — **Sensus externi** dicuntur hi quorum organa foris et extra caput patent, ut visus. — **Sensus interni** dicuntur illi quorum organum in ipsa cerebri substantia intra caput situm est; ut phantasia, sensus communis. — **Sensus communis** aut *sensorium commune* est sensus internus qui sensuum exterorum objecta percipit, deque eorum effectibus judicat. — In sensu *formali* affirmatur illud, quod ingreditur conceptum et definitionem subjecti, de quo affirmatur; v. g.: *Justitia Dei* est virtus, qua ipse punit peccata et coronat merita. — In sensu vero *pure reali*, sive in sensu *identico* et *materiali*, affirmatur illud praedicatum, quod est quidem identificatum cum subjecto, sed non est de conceptu *ejus definitivo*, et neque est praedicatum veluti adjectivum ejus conceptus; v. g.: *Justitia Dei* est misericordia; in sole eadem est vis illuminandi cum vi liquefaciendi ceram. V. Ratio formalis et Formaliter 2. — In sensu *denominativo* affirmatur illa, quae non pertinent ad conceptum definitivum essentiae metaphysicae subjecti, sed sunt proprietates ejus secundariae, vel accidentales, idque vel metaphysice, vel physice, vel logice, v. g.: *Homo* est risibilis, *Europaei* sunt albi, *Deus* est cognitus. V. Concretum.

Sensus compositus alicujus propositionis dicitur quando praedicatum competit subjecto sumpto, seu manenti, ut in propositione enuntiativa. — **Sensus autem divisus** tunc habet propositio, quando praedicatum convenit subjecto non manenti ut enuntiativa, sed aliter se habenti. V. g.: *Album* potest esse nigrum; haec propositio in sensu composito est falsa, nam sensus compositus est: *album manens album* potest esse nigrum. Est autem vera in sensu diviso; tunc enim sensus est: *album*, seu id quod est album, non tamen manens album, potest esse nigrum. — **Sensus reduplicativus** fit quando particula geminans denotat in subjecto adaequatam rationem, vel causam cur illi conveniat praedicatum; ut: *Homo*, quatenus homo, est risibilis; nam adaequata causa risibilitatis est natura humana.

Signum est quod repraesentat aliquid aliud a se cognoscenti potentiae, ut fumus ignem. — **Signum formale** est species rei consignatae in potentia cognoscente et objecti repraesentativa, ut species parietis in oculo. — **Signum ex instituto**, seu *datum*, seu *ad placitum*, est quod ex Dei vel hominum beneplacito vim habet repraesentandi, ut sacramenta signa sunt gratiae. — **Signa naturae**, vel *rationalis*, excogitata sunt a philosophis, ut ordinate disserere possint de pluribus rebus, quae eodem temporis momento existere possunt. In quovis enim momento individuo concipiunt duo signa, quae non sunt quidem instantia temporis distincta, nec partes in instantis, sed tantum de rotant dependentiam unius rei ab alia. In signo naturae *priori* dicuntur existere causam in actu primo proximo, et singula ejus prae-

requisita; in signo vero naturae posteriori actum secundum causam, et quae ex eo fluunt ut effectus. Si autem in eodem instanti detur series plurimum causarum, non duo tantum, sed plura signa naturae erunt. Ita in eodem instanti angelus amat Deum, quem prius natura cognoscit, et a quo prius cognitione conservatur: illa autem, quae licet simul existant, nullam tamen habent ad se relationem, in signis naturae disparatis ponunt; ut naufragium et incendium in eodem instanti. Quod si plura et diversa per eandem actionem ab eadem causa proveniant, ea dicuntur esse in eodem signo naturae, et effectus simultanei appellatur, ut sol eadem actione, eodemque instanti diversimode corpora colorat. Tandem quae eodem instanti proveniunt ab eadem causa, sed per distinctas actiones, dicuntur esse in signis concomitantibus, ut cum eodem instanti objectum aliquod videtur et sonus auditur.

1. Signate refertur ad intentionem, vel directionem agentis; *Exercite* vero ad effectus operis, sive exercitii; e. g., qui mathesi studet signate intendit acquirere cognitiones veritatum circa quantitatem; exercite vero, sive in ipso studendi exercitio, mentem ad recte ratiocinandum capaciorum et aptiorum efficit.

2. Signate etiam indicat rem obtinendam per verba. *Exercite* vero per propria exempla, ut qui praedicat virtutem, signate illam aliis suadet, *exercite* vero qui virtuose vivit.

3. Signate et exercite quandoque idem sonant ac directe et reflexe. V. Directe.

Similitudo est relatio duarum qualitatum eiisdem speciei et gradus. — « Simile non agit in simile » (axioma); ratio est, quia agens semper vult assimilare sibi patiens; ergo si illud sit perfecte simile, non agit, quia tunc cessat finis agendi: sic calidum ut quatuor non agit in subiectum, quod habeat etiam quatuor gradus caloris, sed bene in illud, quod habeat tres. In hoc axioma fundantur alia haec: « Omnis actio est iuxta proportionem majoris inaequalitatis; Solum agit quod habet contrarium », sive habet aliquod, quod resistat actioni agentis aliquo modo.

Simpliciter, V. Absolute.

Simpliciter dictum est quo res absolute talis pronuntiatur, nihilque de eius determinatione detrahitur, ut: nix est candida. V. Absolute. — « Si simpliciter sequitur ad simpliciter est magis ad magis », axioma, cuius sensus est quod si res ab alia absolute aut simpliciter defluit, quod unam auget alteram quoque augebit; ita beatitudo, cum a charitate profuatur, ad maiorem beatitudinem requiritur quoque major charitas.

Simultas temporis et naturae, V. Prioritas 3. **Singularitas**, V. Principium 1. — **Singularis** enumeratio aut propositio ea est quae se refert ad unum individuum, ut: Petrus est doctus. — **Singulare**, iuxta Philosophum, est quod est pluribus incommunicabile (De Interpret. lib. 1. cap. 7.).

Spatium reale est intercapedum positiva quae inter plura corpora vel ejusdem corporis latera aut extrema reperitur. — **Spatium imaginarium** est illa intercapedum quam nobis imaginamur et fingimus esse supra coelos.

1. **Species** saepe indicat imaginem objectum representantem. — **Species physice** est forma et pulchritudo rei.

2. **Species atoma** physice sumpta est illa species in rerum natura, quae non constat aliis speciebus, i. e. quas dividi possit, ut sunt prima elementa.

3. **Species expressa** est cognitio ipsa, quae objectum apparere facit, seu est perceptio ac representatio objecti. — **Species impressa** est qua-

litas ab objecto immissa, tanquam objecti vicaria virtus quaedam, quae potentiae imprimitur et eam complet et adjuvat ad elicendum cognitionem objecti, sive speciem expressam. — **Species impressa** sic dicitur, quia imprimitur potentiae; *expressa* vero sic dicitur, vel quia expressius praesentat objectum quam species impressas, vel quia exprimitur, sive elicetur a potentia. Nimirum objectum potentiae, e. g., visivae per totum intervallum inter ipsum et potentiam emittit emanationes quasdam sui vicarias in aere sustentatas, quas vocant species impressas, quarum quae potentiae proxima est, adjuvat illam ad producendam, et in se recipiendam speciem illam, quae etiam impressa dicitur, et cuius ope potentia tandem speciem expressam, id est, in casu nostro, visionem elicit. Idem dic de qualibet alia potentia. Notandum vero emanationes illas non substantiales esse, sed accidentales in sensu Peripateticorum.

4. **Species impressa** dicitur etiam objecti semen, quia per eam, ut dicunt, ab objecto quasi patre fecundatur potentia quasi mater ut cognitionem pariat: unde fluit axioma: « ab objecto et potentia paritur notitia ».

5. **Species** tam *expressa* quam *impressa* dicitur saepe *intentionalis*, quia per eam potentia attendit, sive intendit in objectum. Caeterum potentiae quoque sensuum externorum habent suas species tam expressas quam impressas.

6. **Species** quoque designat unum ex quinque attributis universalibus. V. Praedicabilia. — **Species praedicabilis** est unum aptum praedicari de multis, solo numero differentibus in quaestione quid est; ut homo de Petro et Socrate. — **Species subjicibilis** est particulare quod proxime collocatur sub genere et de quo genus immediate praedicatur in quid; ut animal respectu viventis. — **Species infima** seu *specialissima* est quae sub se habet tantum individua; ut equus hunc et illum equum.

Specificative, vel *denominative* sumitur concretum aliquod cum praedicatum, quod de illo dicitur, illi convenit ratione subiecti ejusdem concreti; *repllicative*, vel *formaliter* sumitur cum praedicatum illi convenit ratione formae; v. g., in hoc concreto: Philosophus, subiectum est homo, forma philosophia; hinc si dicas: Philosophus dormit, philosophus sumitur specificative, nam dormit ut homo; si vero dicas: Arcana naturae pervidet, sumitur philosophus *repllicative*, nimirum ratione philosophiae.

1. **Specificativum** communiter significat illud attributum, per quod aliquid fit objectum talis potentiae, sive *objectum formale*; ita color dicitur specificativum potentiae visivae. Dicitur autem specificativum, quia est extrinsecum iudicium, ex quo discernimus species actuum et potentiarum.

2. **Specificativum** rei aliquando dicitur illud attributum, vel illa attributa, quae rem a caeteris distinguunt, et in tali specie collocant. Sic rationalitas est hominis specificativum. — **Specificari** idem est ac sub hac vel illa specie, in hoc vel illo ordine collocari; potentia ita specificatur per actus. — **Speculatio** est actio intellectus in sola veritatis cognitione quiescens. — **Speculatum** est quod in alia re tanquam in speculo videtur. — **Intellecta speculata** sunt res materiales in quibus tanquam in speculo res intellectuales perspicuntur (part. 1. q. 88. art. 1.).

Sphaera extrinseca causae est spatium illud, vel loci ambitus, infra cuius terminos cohibetur, saltem naturaliter, activitas causae. — **Sphaera intrinseca** causae est virtus, quam ipsa habet se

extendens ad effectus, quos praestare potest, v. g., percipere lucidum coloratum respectu potentiae visivae; sonum respectu auditivae. — Sphaera *activitatis* est terminus circularis quem agentia naturalia propter limitatam suam agendi virtutem praeterire non possunt; v. g., si ignis potest agere ad quatuor passus circulariter, non ultra. — Sphaera *activorum* et *passivorum* ea est quae amplectitur mundum sublunarem in quo, juxta Peripateticos, includebantur corpora generationis et alterationi obnoxia. — Sphaera *objectiva* est objectum potentiae. V. Objectum.

Spiritus ut opponitur corpori est substantia simplex, completa, immaterialis et intellectiva. — Ut animae instrumentum, est corpusculum quoddam tenue, lucidum, calidum, ex puriori sanguine ad juvandas vitales et sensitivas operationes procreatum. — Spiritus *vitalis* est qui a corde vitae fonte per arterias ad vitae functiones juvandas defertur. — Spiritus *animalis* est qui a cerebro functionum animalium principio, earumdem functionum promovendarum gratia per nervos decurrit. — *Spiritualia per attributionem* juxta veteres sunt ea accidentia, iique modi, qui licet non sint spiritus, naturaliter tamen adhaerere debent spiritui, non corpori, ut actus animae, gratia, etc. — *Corporea, sive corporalia per attributionem* ea sunt, quae licet corpora non sint, naturaliter tamen exigunt intrinsece ac perpetuo adhaerere corpori, ut modi illi, illaetque qualitates, quae materiae debent adhaerere.

Status termini est acceptio termini pro tempore importato per copulam; v. g., in his propositionibus: Adam exiit, Antichristus existit, status termini importat ut Adam sumatur pro homine, qui fuerit existens, Antichristus pro homine qui sit exiturus. — Status termini opponitur *Ampliatio*, quae est acceptio termini ultra id quod importat copula; v. g., dum in Evangelio legitur: «Caeci vident, claudi ambulant, surdi audiunt», id vult intelligi de hominibus existentibus etiam tempore praeterito.

Subjcti certitudo, V. Certitudo.

Subjective et Connotative idem ac quod ad, vel penes subjectum et connotata, seu indigitata. Sic virtus poenitentiae subjective bona, connotative respicit malum, sive peccata commissa.

2. *Subjective et objective* idem ac quod ad, vel penes subjectum et objectum; e. g., conceptus, quem habet angelus corporis, dicitur corporeus objective, subjective vero spiritualis, cum sit actus angeli, qui totus spiritus est; sic etiam idea Dei in nobis est subjective, sive ex modo repraesentandi imperfecta, objective vero seu quoad objectum perfectissima.

3. *Subjective et terminative* idem ac quod ad, vel penes subjectum et terminum. Sic creatio subjective, sive ex parte Dei est quid infinitum: finitum vero terminative, sive ex parte creaturae.

1. **Subjectum adhaesionis** est illud, cui entitas aliqua modalis (V. Modus) sic adhaeret, ut haec nec sit subjecti complementum, nec ab eo dependeat tanquam a causa materiali; sic Verbum divinum est subjectum unionis hypostaticae.

2. **Subjectum attributionis** illud est, cui rei proprietates attribuntur; ita persona est subjectum actionum et passionum. V. Actiones sunt suppositorum.

3. **Subjectum inhaesionis** illud est, quod est causa materialis, vel quasi materialis alicujus accidentis, et ab ipso accidente intrinseco afficitur; ita aer respectu lucis in eorum sententia, qui volunt lucem accidens aëris. Idem dicitur de anima respectu suorum accidentium.

4. **Subjectum purae receptionis, sive praedicationis** est illud, quod aliquam denominationem accipit a forma impropria, id est ab aliquo, quod vel non sit vere distinctum a subjecto, vel non sit ei intrinsece unitum, uti debet esse vera forma perficiens subjectum; sic Deus et ab omnipotentia denominatur Omnipotens, et a cognitione nostra dicitur cognitus.

5. **Subjectum purae denominationis, vel informationis**, est materia in composito, cujus forma non educatur ex ipsa materia, v. g. corpus in homine. V. Eductio.

6. **Subjectum sustentationis, vel eductionis**, est causa materialis alicujus complementi sui substantialis, vel etiam accidentalis; ita materia, ex qua gignitur forma ignis, respectu ejusdem formae. V. Eductio.

Subjcti aliquibus praedicatis est esse subjectum habens illa praedicata. Hinc

Subjctibile est id quod potest esse subjectum in aliqua propositione, seu quod potest habere aliquod praedicatum; sic aqua subjctibilis est praedicatis vel calidae, vel frigidae.

Subsistentia, seu Hypostasis, itemque *Suppositivitas, Terminus rei* est ultimum entis complementum, quo fit ut ens illud reddatur adaequatum omnium suarum functionum ac proprietatum principium. Ens per *subsistentiam* complementum dicitur *suppositum*: quod si autem *suppositum* ratione praeditum sit, *persona* nuncupatur, ejusque *subsistentia personalitas*. Peripatetici plures *subsistentiam*, tam in divinis, quam in humanis in realitate quadam positiva constituebant. Recentiores vero philosophi *subsistentiam* cujuslibet entis creati (quidquid sit in divinis) communiter aiunt consistere in negatione unionis cum ente alio nobiliori; sic quilibet angelus, homo, bratum, arbor suam habent *subsistentiam*: sunt enim subjectum denominationis earum omnium actionum vel passionum, quae ab ipsis vel in ipsis fiunt; at, e. g., corpus vel anima hominis donec unita sunt, ramus arboris, priusquam ab arbore evellatur, *subsistentia* propria carent, et non suppositum, sed pars suppositi dici solent, donec dicta unio persistit; denominationes enim non ipsis, sed toti composito tribuuntur.

Subsistere. In *subsistenti consequentia* idem est ac unum esse, vel exstere tanquam consequens alterius, sed non vicissim. Sic bene infertur: Hoc objectum est Deus; ergo est ens, at non vicissim. Similiter existit homo; ergo et animal, at non: existit anima; ergo et homo.

Substantia generatim est ens per se subsistens. — Substantia apud Aristotelem sumitur pro rei essentia (lib. De praedic. cap. 1.).

1. **Substantia completa** est quae non ordinatur ad illum substantiale compositum constituendum etsi ulterius possit perfici in ordine accidentali, ut homo, arbor. — **Incompleta** est substantia partialis, quae ordinatur ad aliquod totum substantiale constituendum, ut anima, vel corpus hominis.

2. «Substantia est propter se» (axioma); nempe, quaelibet substantia non est propter aliam personam, vel suppositum intrinsece efficiendum. Hoc intellige de substantia completa.

3. **Substantia praedicamentalis** est ea quae creata et completa est; haec enim sola ponebatur a Peripateticis in primo praedicamento. V. hoc verbum. — **Transcendentalis** est substantia in genere sumpta, sive completa vel incompleta, sive creata vel increata.

4. **Substantia prima** est quae neque est in subjecto, neque de subjecto dicitur, ut Socrates. — **Substantia secunda** est quae in subjecto non est,

et tamen de subjecto dicitur, ut homo de Petro. — Substantiae secundae sunt genera et species quibus prima insunt.

1. **Substantialia compositum** dicitur etiam unum per se; *accidentale* unum per accidens.

2. Substantialia compositum *naturale* est quod coalescit ex substantiis incompletis et ad invicem ordinatis, ut sese mutuo in suo genere compleant, seu, quod idem est, ex substantiis, quae ex intentione naturae sunt ordinatae ad quid unum constituendum; tale est, v. g., homo constans ex anima et corpore. — Substantialia compositum *supernaturale* illud est, quod constat ex substantiis, quae licet natura sua non ordinentur ad quid unum constituendum, habent tamen aptitudinem, ut ad id a Deo eleventur; sic Christus Dominus ex duabus naturis divina et humana compositur, quae in unam personam supernaturaliter ununtur.

— *Accidentale* compositum est quod exsurgit vel ex substantia et accidenti, ut paries albus; vel ex substantiis in genere suo completis, ut cervus lapidum. — *Accidentale* compositum *supernaturale* illud est, quod constat ex subjecto naturali et accidenti supernaturali, ut homo iustus ex humana natura et gratia habituali.

3. In *substantiali composito* unio partium dicitur *substantialis* unio, vel *modus substantialis*; in *accidentali* dicitur *accidentalis*.

Substantive accipitur proprietas aliqua rei cum sumitur realiter, quatenus cum re ipsa identificatur; *adjective* vero sumitur cum usurpatur *praecise* quatenus est perfectio rei. Sic rationalitas hominis substantive sumpta est homo ipse, *adjective* vero est perfectio hominis.

Substare alicui est esse illi actu objectum, vel aliquo modo subjacere; sic dum percipio lunam, luna substare meae cognitioni.

1. **Substratum** in aliqua re dicitur, quod in ea est materiale; hoc enim substernitur formae, a qua determinatur. Hinc *substratum* malitiae idem est ac materiale peccati.

2. Est etiam subjectum et praedicatum propositionis; haec enim veluti substernuntur copulae affirmantive vel negantiae, a qua accipiunt vim et denominationem subjecti et praedicati. Hinc illa dicuntur etiam *materia* propositionis, copula vero *forma*.

Summularum regulae sunt regulae logicae in summulas redactae a Peripateticis. Hinc *Summularum* dicitur, qui regulas illas proficitur.

Superioritas logica terminorum est major extensio, vel latitudo illorum, de quibus termini affirmari possunt; ita, v. g., ens dicitur logice superior animali, quatenus de pluribus affirmatur esse ens quam animal.

1. **Supernaturale** est quod supernat vires activas et exactivas naturae, nempe quod nec causae naturales facere valent, nec a Deo exigunt ut complementum sui generis; ut, e. g., corpus organizatum exigit animam, ignis calorem, quae idcirco naturalia sunt. Contra vero divina gratia, character sacramentalis, mortui resurrectio, quae neque viribus naturalibus haberi possunt, neque a natura exigunt, supernaturalia sunt.

2. **Supernaturale quoad substantiam** est quoad in omni casu totus naturae vires omnino superat; vel quod in sua entitate est quid supernaturale, ut gratia, character sacramentalis. — **Supernaturale quoad modum** est quod in aliquibus tantum rerum adjunctis vires naturae supernat; vel quod superat naturam solum quoad modum, quo fit; e. g. translatio corporis de loco in locum distantem facta, licet naturaliter fieri possit, non tamen vel in instanti, vel sine transitu per spatium intermedium.

Supertranscendentalia. V. Transcendentales.

Supponere pro aliquo idem est ac illud significare. V. Suppositio.

Suppositalitas idem sonat ac subsistentia, hypostasis, terminus rei.

Suppositare vel Terminare est efficere ut substantia sit suppositum, vel persona. V. Suppositum.

Suppositio termini est ejusdem significatio et usurpatio actualis in propositione. Dicitur *materialis*, si in termino consideretur ratio termini, non res significata per terminum, ut in hac propositione: homo est vox. Si vero consideretur res, quae per terminum significatur, dicitur *formalis*, et quidem *simplex*, si res talis sit per abstractionem mentis, ut, e. g.: homo est species; *personalis* vero, si res sumatur ut in se ipsa est, e. g.: homo est vivens. — **Suppositio termini** dicitur *distributiva*, si in propositione sit terminus universalis, qui distributive sumatur, nempe, qui omnia individua sub se contenta etiam singillatim respiciat, ut: omne animal est vivens. Haec vero dicitur *completa*, si singula individua, seu, ut aiunt, singula generum respiciat, ut in exemplo adducto; singuli enim generis humani sunt viventes; *incompleta* vero dicitur, si non singula individua, sed species dumtaxat alicujus generis, seu, ut aiunt, genera singulorum respiciat, ut si dicitur: omne animal fuit in arca Noë; non enim singula omnis generis animalium fuerunt in ipsa, sed solum aliqua cujuscumque animalium generis. Si qua sit exceptio in propositione distributiva, haec dicitur *accommodata*, ut: omnes homines diluvio perierunt; subintelligitur enim: exceptis iis qui erant in arca. — **Suppositio appellatur collectiva**, si in propositione sit terminus universalis, qui collective sumatur, nempe, qui omnia individua sub se contenta simul sumat, ut: omnes apostoli erant duodecim. — **Suppositio dicitur disjunctiva**, seu *determinata*, quando in propositione est terminus particularis indicans certum ac determinatum objectum, ut: aliquis apostolus (Judas nempe) prodidit Christum. — Dicitur tandem *disjuncta*, seu *indeterminata*, cum in propositione est terminus particularis indeterminate sumptus, ut: aliquis calamus necessarius est ad scribendum.

Suppositum, V. Actiones et Subsistentia.

« **Supremum** infimi attingit infimum supremi »; axioma, quod ita explicatur: In duabus entium seriebus, quarum una sit altera immediate superior, et unaqueque contineat entia, quae gradatim ascendunt, ens quod supremum est in serie inferiori proximum est enti, quod infimum est in serie superiori. Ita dicimus, e. g., supremum probabilitatis gradum attingere, seu proximum esse primo certitudinis gradui.

1. **Syllogismus**. Hujus figuram a loco, quem medius terminus occupat, desumebant. Is enim vel in una praemissa subjectum est, in altera praedicatum; vel in utraque praedicatum, vel in utraque subjectum. Primo casu syllogismus primam figuram constituit; altero secundam; tertio, tertiam.

Extremum *majus*. Peripateticis erat, quod vel unice, vel magis praedicatur (seu est praedicatum) in toto syllogismo. Hinc, rigorose loquendo, praemissas non ab earum loco, sed a cujusque extremo majorem vel minorem vocabant. Sic in hoc syllogismo: « Nullum animal est arbor; omnis palma est arbor; ergo nullum animal est palma », extremum « palma » quod unice praedicatur, videlicet in conclusionis, est majus; hinc praemissa major est: « Omnis palma est arbor », licet secundo loco ponatur; caeterum in disputatione

et communi usu nostrum loquendi modum tenebant.

Si extremum, quod in una praemissa praedicatum est, est etiam praedicatum in conclusione, syllogismus *directe* concludit, secus *indirecte*.

In propositionibus *quantitatem* et *qualitatem* considerabant, quatenus aliae universales sunt, aliae particulares, utraque vel affirmativae, vel negativae. Harum varietatem vocalibus *A. E. I. O.* designabant aiebantque:

Asserit A. negat E. sed universaliter ambae;
Asserit I. negat O. sed particulariter ambae.

Ex harum vocalium diversa collocatione undeviginti voces efformantur, quibus modos omnes rite syllogizandi significarunt, habita etiam ratione figurae et conclusionis directae, vel indirectae. Hae voces his versiculis continentur:

Barbara, Celarent, Darii, Ferio, Baralipon,
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum,
Baroco, Camestres, Festino, Baroco, Davanti,
Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

Vox Barbara indicat syllogismum constantem tribus universalibus affirmativis: Celarent tribus universalibus, prima, et tertia negativis, secunda affirmativa; Darii tribus affirmativis, prima universalis, reliquis duabus particularibus. In vocibus Baralipon et Frisesomorum tres tantum priores vocales attenduntur; nam reliquae solius metri causa sunt additae. Novem priores modi ad primam figuram pertinent, quatuor sequentes ad secundam, sex reliqui ad tertiam. Ex modis primae figurae quatuor tantum priores directe concludunt. Cuius vero syllogismus sub eadem quantitate et qualitate propositionum possit quandoque et diversae figurae esse et diversimode concludere, pro his casibus diversae voces iisdem vocalibus eodem ordine constantes excogitatae sunt: ut Celarent, Celantes, Cesare, quarum duae priores pro prima figura sunt, tertia pro secunda; at prima vox conclusionem directam indicat, altera indirectam, e. g. positis his praemissis: «Nulla arbor est animal: omnis palma est arbor», si inferas: «ergo nulla palma est animal», concludis *directe* in Celarent; si vero inferas: «ergo nullum animal est palma», *indirecte* concludis in Celantes. Si autem dicas: «Nullum animal est arbor; sed omnis palma est arbor; ergo nulla palma est animal», syllogismus erit secundae figurae in Cesare; quod si inferas: «ergo nullum animal est palma», syllogismus erit in Camestres; tunc enim *major* rigorose loquendo erit: «Omnis palma est arbor», ut constat ex superius dictis. Similiter dicito de aliis vocibus, in quibus eadem sint vocales eodem ordine.

2. Syllogismus *expositorius*, ita dictus quia rem quasi oculis exponit, ille est, qui constat medio termino singulari; v. g.: «Petrus est homo, Petrus est animal; ergo aliquod animal est homo».

Syllogismus *categoricus*, seu *simplex*, est qui ex simplicibus propositionibus constituitur. — Syllogismus *absolutus* est qui constat ex propositionibus absolutis, ut: «Omne animal moritur; equus est animal; ergo moritur». — Syllogismus *modalis* est qui constat ex una pluribusve modalibus propositionibus: «Hominem esse lapidem est impossibile; sed Plato est homo; ergo Platonem esse lapidem est impossibile». V. *Enuntiatio*. — Syllogismus *demonstrativus* est qui constat ex materia necessaria et generat scientiam et certitudinem. — Syllogismus *topicus*, seu *dialecticus*, est qui constat ex materia probabilis et opinionem parit, ut: «Omnis mater diligit filium; haec mulier est mater; ergo diligit filium».

— Sophismata vocantur syllogismi modo *pseudographi*, modo *sophistici*, modo *paralogismi*.

Symbole, V. *Elementa vulgaria*.

Syncategorematicus, V. *Categorematicus*.

T

Talitas rei est idem ac talis quaedam determinata qualitas ejusdem.

Temperamentum est mensurata quaedam et modificata medietas, aut proportio primarum qualitatum mixti naturae conveniens.

Temperamentum ad pondus, seu *uniforme*, est temperamentum corporis continentis elementa prima, aërem, terram, etc., in gradu aequali, v. g. ut quatuor. — *Temperamentum ad justitiam*, seu *diforme*, est quod illa continent in eo gradu, qui debitus est determinatae speciei corporis, quae saepe importat, ut modo unum, modo aliud elementum prae aliis dominetur. — *Temperamentum simplex* est in quo una tantum ex primis qualitativis dominatur. — *Temperamentum compositum* est in quo duae primarum qualitatum excedunt, est quadruplex: *Sanguineum*, seu *aereum*, in quo calor et humiditas; — *Colericum*, seu *igneum*, in quo calor et siccitas; — *Phlegmaticum*, seu *aquatium*, in quo frigus et humiditas; — *Melancholicum*, seu *terreum*, in quo frigus et siccitas.

Tempus est numerus motus secundum prius et posterius, justa Philosophum (Phis. lib. 4. cap. 1.). — *Definitur* quoque duratio motus coelestis, quatenus assumitur ut mensura caeterorum motuum. — *Tempus imaginarium* est spatium illud quod fingimus ab aeternitate in aeternitatem fluere. — *Aevum* juxta Peripateticos mensuratur a successione cogitationum quae sibi invicem succedunt in primo angulorum.

Terminare, V. *Suppositare*.

Terminative, V. *Subjective* 2.

1. *Terminus actionis* est id, quod ipsa actione perficitur.

2. *Terminus actionis formalis* est id quod proprie et immediate actione efficitur; *terminus denominationis* est id quod per actionem accipit denominationem novam; sic respectu causae motricis, motus causatus est terminus actionis formalis; corpus vero motum est terminus denominationis.

3. *Terminus enuntiationis* est id in quod ut extremum resolvitur enuntiatio, ut sunt praedicatum et subjectum. — *Terminus appellans* et *appellatus*, V. *Appellare*.

4. *Terminus categorematicus*, V. *Categorematicus*.

5. *Terminus relationis* est ipsum relationis fundamentum. V. *Relatio*. — *Terminus a quo* est unde incipit motus, ut privatio, unde generatio. — *Terminus ad quem* est id in quod motus desinit, ut forma in quam generatio. — *Terminorum descensus* et *ascensus*, V. *Descensus*.

6. *Terminus intrinsecus unionis* est illud extremum in composito, in quo unio, quae Peripateticis entitas erat ab extremis distincta, non recipitur, neque ab eodem educitur et sustentatur. Ita forma compositi est terminus intrinsecus unionis materiae cum forma, quae unio recipitur, seu adhaeret materiae et a materia sustentatur, non vero formae adhaeret, neque ab ea sustentatur. V. *Eductio*.

Terminus rei, V. *Subsistentia*.

Tò (to) apponitur ad indigendum verbum aliquod, de quo sit sermo, et est veluti articulus

demonstrativus; v. g., in illis Evangelii verbis: « Pater major me est » $\tau\theta$ me refertur ad humanitatem Christi, non ad divinitatem. Sensus est illud verbum *me*, quod gallice exprimeremus dicendo: « ce mot *me* », refertur, etc. Eamdem vim habet *Ly*. — *To* sumptum est ab articulo neutro Graecorum defectu articuli latini. — *Ly* sumptum videtur ab Arabis, a quibus sublimiores scientiae originem traxerunt, qui articulum habent *ll*, qui retro lectus, ut eorum vult grammatica, reddit: *Ly*.

Totaliter, V. Adaequate.

Totum *per se* est quod constat ex partibus ad ejus essentiam, vel integritatem constituentem naturaliter ordinatis, ut homo, lapis. — **Totum** *per accidens* aut *accidentale* est quod constat ex pluribus entibus in actu, sive completis, ut cumulus lapidum. — **Totum** *essentiale* est quod ex partibus ejus quidditatem seu physice, seu metaphysice constituentibus coalescit; ut homo physice ex corpore et anima rationis compote; metaphysice ex animali et rationali. — **Totum** *physicum* est quod ex materia et forma substantiali, inter se naturaliter ordinatis et unitis, constituitur. — **Totum** *metaphysicum* est quod ex partibus metaphysicis, genere scilicet et differentia, constare intelligitur. — **Totum** *homogeneum* seu simile est cujus partes omnes eandem cum toto rationem et appellationem habeat, ut aqua cujus quaelibet pars nominatur, ut est aqua. — **Totum** *heterogeneum* seu *dissimilare*, est cui partes insunt, diversi a toto nominis, diversaeque naturae, ut corpus humanum, cujus caput, manus, pes, nec eandem denominationem, nec eandem quidditatem cum toto sortiuntur. — **Totum** *potentialiter* est quod partes suas potestate tantum, non actu continet, ut animal respectu hominis et bruti. — **Totum** *integrale* est quod partes habet ad rei integritatem pertinentes. V. Partes.

Transcendentale aliquando dicitur id quod cum essentia alicujus rei identificatur.

Transcendentales sunt termini vel proprietates rebus omnibus cujuscumque generis convenientes. Veteres sex numerabant: *Res, Ens, Verum, Bonum, Aliquid, Unum*, quae per litteras initiales earum vocum indicantur componentes hanc barbarem vocem: *Reubau*; nihil enim in rerum natura inveniri potest, cui ista non conveniant. Recentiores ad tria reducunt attributa transcendentalia, quae et metaphysica dicunt: *Veritas, Unitas, Bonitas*. — **Transcendentalia** dicuntur quia veluti essentias omnes transcendunt, et cum iis identificantur. — **Intranscendentales** sunt autem illi termini et proprietates, quae rebus certi generis vel speciei conveniunt, non aliis; ut lapis, arbor, homo. — **Supertranscendentalia** ea dicuntur, quae rebus non modo realibus, sed fictis etiam, seu imaginariis aptantur, ut apprehensibile, cogitabile, significabile.

Transcendentaliter, V. Praedicamentaliter.

Transcendere res aliquas est illis omnibus esse commune, vel etiam cum illarum essentia esse identificatum. V. Transcendentale.

U

1. « Ubi non est totum et pars, aut totum sumitur, aut nihil », scilicet, de eo, quod natura simplex est et partibus caret, ut Deus, anima, nequit verificari ut una pars sumatur, et altera a parte rei sit intacta; pluralitas enim ista partium non adest. Ergo aut totum sumi necesse est,

aut nihil. Dictum est « a parte rei », nam per mentem fieri potest distinctio in iis etiam, quae sunt simplicissima. V. Distinctio rationis.

2. **Ubi, Ubitas, Ubicatio, Praesentia** est illud, per quod res determinatur ut sit in loco; ita duas habere *ubicaciones* est esse in duobus locis.

Ubicatus idem ac existens in loco. — **Ubi circumscriptionum** est circumscriptio corporis a loci circumscriptione proveniens. — **Ubi definitivum** est modus secundum quem res ita est in loco, vel spatio, ut tota sit in toto et tota in qualibet ejus parte, non tamen extra; quale est ubi angelorum. — **Ubi praedicamentum** est accidens secundum quod res dicitur esse in loco, vel in certa spatii parte. V. Praedicamenta.

Ultimum. Virtus est ultimum potentiae, id est, cujusque potentiae virtus seu quantitas et efficacia definitur, exprimendo ultimum seu supremum, quod ipsa potest, 1-2. q. 55. a. 1.

Uniformiter *diformiter*, v. g., dicitur causa operari intra propriam sphaeram; uniformiter, quia per totam sphaeram producit effectus ejusdem rationis; ita sol per suam sphaeram producit lucem et calorem: *diformiter*, quia juxta distantias et dispositiones objectorum inaequaliter agit; ita lux solis decrescit ratione distantiae, et magis illuminatur politum corpus quam asperum.

1. **Unio** saepe denominatur ab effectu, quem praestant partes unitae, ut unio *essentialis*, quia, videlicet, uniuertur partes rei essentiam constituentes: *accidentalis*, qua accidens uniuertur substantiae.

2. **Unio continuativa** est ea, qua ita uniuertur partes alicujus substantiae, ut naturali nexu copulae remaneant; talis est unio partium ligni.

3. **Unio informativa** est unio formae cum materia, v. g. animae cum corpore.

4. **Unio unionis** est modus quidam ab aliquibus admissus ut possibilis, cujus officium sit unire unionem partium cum suis partibus. Pariter *ubicatio ubicationis* est ubicatio ipsis ubicationis; *actio actionis* est actio, quae facta ut actio egrediatur a causa. Unio vero unionis, ubicatio ubicationis, actio actionis dicuntur *reflexae* non raro, quia veluti reflectunt et cadunt super aliam unionem, ubicationem, actionem.

Unitas est indivisio rei in se et divisio a qualibet alia, juxta Philosophum. — **Unitas per se** est quae oritur ex una essentia vel natura, sive simplex sit, sive composita, ut unitas divinae naturae, et unitas hominis. — **Unitas per accidens** est quae oritur ex naturis diversis seu completis, seu diversi ordinis aut praedicamenti, ut homo albus, cumulus lapidum habent unitatem per accidens. — **Unitas materialis**, seu numerica, est entitas cujusque individui, prout dicit incommunicabilitatem et indivisionem in plura inferiora, ut unitas Platonis. — **Unitas formalis** est essentia rei, prout dicit negationem divisionis in plures essentias, qualis est ipsa, ut unitas naturae humanae.

1. **Unitas formalis**, vel *essentialis*, est unitas speciei, quatenus ea ab omni alia specie distinguitur; vel unitas est generis, quatenus distinguitur ab omni alio genere. Sic Petrus unio individuali distinguitur ab eo omni, quod ipse non est; unitate essentiali et formali ab eo omni, quod non est animal, et ab eo omni, quod non est rationale.

2. **Unitas simplicitatis** habetur quando aliquid et unum est numerice, et est natura simplex, ut Deus, angelus. — **Unitas compositionis** habetur quando aliquid unum est numerice, sed est compositum partibus distinctis, ut homo, qui constat animo et corpore.

3. *Unitas solitudinis idem est ac unicitas, sive esse solum et unicum in tali natura.* Hoc sensu dicitur Deus unus. — *Unitas indivisionis, individualis, transcendentalis* omnibus conveniens consistit in hoc ut res non sit multa entia, sed unum distinctum a ceteris omnibus, quae illud non sunt. Haec unitas dicitur etiam *numerica*, nam ex pluribus, quorum quodlibet sit unum et indivisum, numerus coalescit; dicitur etiam *materialis*.

4. *Unitas universalis, sive rationis, praecisionis, et formalis intentionalis*, est illa, qua per mentem plura individua fiunt una species, aut plures species unum genus. Ita plures homines fiunt unum sub idea abstracta: homo; et plurium animalium species fiunt unum sub idea: animal.

Unitio est actio propria unionis in partibus unitis, considerando unionem ut modum distinctum a partibus in sententia veterum

Universa sunt ea, quibus eadem praedicata conveniunt in eodem sensu, ut leo, pecus in ratione animalis. — *Aequivoca* sunt ea, quorum uni aliquid praedicatum convenit in uno sensu, alteri idem praedicatum in alio, ut gallus gallinaceus et Gallus homo, scilicet e Gallia — *Analogia* sunt ea, quorum uni aliquid praedicatum convenit proprie, alteri idem praedicatum convenit improprie, ut homo vivus et homo pictus. Haec dicuntur etiam *analogata*; unde intelligitur illud axioma: « Analogum per se sumptum stat pro famosiori analogato », id est, pro significato magis proprio et principali, quando nihil additur, v. g. terminus: homo, dictus absolute sine addito, accipitur pro homine vivo, non pro picto.

1. **Universale** est id quod unum cum sit extenditur ad multa. — *Universale complexum* est aliqua propositio generalis ex qua plures particulares deduci possunt ut: omne totum est majus sua parte. — *Universale incomplexum* est aliquid simplex, ad multa dicens ordinem, ut virtus respectu iustitiae et prudentiae.

2. **Universale inobligando** est id quod est unum, et obligat multos, ut lex. — *In causando* quod est unum, et causat multa, ut prima causa. — *In significando vel repraesentando*, quod est unum, et multa significat, ut vox, aut conceptus: homo. — *In essendo et praeledendo*, quod est unum, et est aptum esse in multis et praedicari de multis, ut natura humana prout expressa per conceptum indefinitum: homo; sic enim expressa est quid unum, et aptum esse in omnibus individuis speciei humanae ac de iis affirmari. *Universale nonnulli volebant revera esse aliquid existens in rerum natura independent ab intellectu, et hoc est celebre « universale a parte rei ».* Alii, imo fere omnes hoc unice admittunt tanquam opus mentis nostrae abstrahentis et praesidentis, et nihil revera volunt reale quod sit unum et multiplex. — *Universale physicum* est natura realis in singularibus existens; ut natura humana Petri. — *Universale metaphysicum* est natura realis considerata in statu solitudinis, id est non consideratis conditionibus individuantiis, ut natura humana concepta sine Petreitate, Pauleitate, etc. — *Universale logicum* est unum aptum inesse multis et de multis praedicari eadem omnino ratione; ut substantia respectu spiritus et corporis; album respectu nivis et cerusae.

Univoca, Aequivoca, Analogia, dicuntur talia *physice*, quando univocatio, aequivocatio, analogia est penes praedicata, quae sunt specifica; *metaphysice*, quando est penes praedicata generica; v. g. leo, equus, sunt univoca metaphysice, quia sunt univoca in ratione animalis,

quae eorum genus est; Petrus et Paulus sunt univoca physice, quia talia sunt in ratione humanitatis, quae species est. Univoca autem, aequivoca, analogia dicuntur talia logicae, quando sumuntur abstracte praescedendo ab univocatione physica, vel metaphysica. V. *Aequivoca, Analogia, et Causa*.

« **Unumquodque** est propter suam operationem ». « **Unumquodque** sicut se habet ad esse, ita se habet ad agere ». V. *Esse*.

Ut sic, significat rem, de qua est sermo, considerari in genere, non in specie, vel individuo; v. g.: animal ut sic, est animal in genere, indefinite sumptum, non vero prout tale vel tale sit in specie vel individuo; significat etiam *ut tale*, vel *quatenus tale*; e. g.: philosophus ut sic, id est ut philosophus, sive quatenus philosophus.

V

Vacuum late sumptum est spatium corpore carens, nec aptum eo repleri; quale erat ante mundum conditum, et nunc supra coelos. — **Vacuum** etiam dicitur spatium in quo nullum est corpus tactu percipibile. — **Vacuum** proprie est locus corpore carens et aptus eo repleri; quale esset si inter lunae concavum et terram nullum foret corpus. — **Vacuum coarctatum** est vacuum sensibile, et notabile, ut si Deus destrueret omnia corpora in magno cubiculo contenta. — **Vacuum disseminatum** est vacuum constans multis inanibus spatiolis insensibilibus per grandiora corpora dispersis et conclusis intra plures eorum particulas.

Vage idem ac indeterminate. V. **Individuum**. **Verificativum** actus intellectus judicantis est objectum, quo posito actus est verus, et quo non posito actus est falsus, v. g. verificativum hujus iudicii: lux est, est ipsa existentia lucis.

Veritas est habitudo inter rem et intellectum.

1. **Veritas formalis** consistit in conformitate actus cum objecto, ut si diceret: Deus existit, Petrus currit; horum actuum veritas formalis importat quod Deus vere existat, Petrus currat. — **Veritas radicalis** est exigentia vel necessitas ut adsit veritas formalis, sive ut objectum sit quale iudicatur, vel enuntiatur. Talis est veritas actuum, qui in evidentia et fide divina fundantur; hi enim necessario debent esse conformes objectis.

2. **Veritas repraesentationis** est conformitas apprehensionis intellectus cum objecto repraesentato. — **Veritas sententiae** est conformitas iudicii intellectus cum re iudicata. — **Veritas naturae**. Illud pertinet ad veritatem naturae alicujus, quod est de constitutione ipsius (part. I. quaest. 119, art. 1. o.)

3. **Veritas transcendentalis**, V. **Transcendentales**.
4. **Veritas cognitionis** est conformitas intellectus cognoscentis, seu ipsius cognitionis cum objecto cognito, prout in se est. — **Veritas moralis** seu veracitas est virtus qua quis verbis, factis, aliisque signis externis talem se demonstrat qualis est in se.

Verum est quod apparet id esse quod est; ut aurum verum dicitur quando tale est quale videtur.

Via. Homo qui est in via est ille qui in hoc mundo existit, cujus vita est peregrinatio ad alium mundum; qui vero hanc peregrinationem jam consummavit dicitur *in termino*, sive condemnatur, sive praemietur. — **Viale**, est id, quod est via, seu dispositio ad aliquid, vel illius causa; unde intelligitur quid sit

Vialiter, V. **Formaliter** 4.

Virtualiter, V. **Formaliter** 4.

Virtus generatim est perfectio et vis aliquid recte operandi. — Virtus dicitur esse dispositio perfecti ad optimum, quia est dispositio complens potentiam ad eliciendum actum bonum; ac proinde cum dicitur ad optimum, illud optimum ex mente tum Philosophi (Physic. lb. 8.), tum B. Thomae (1-2. quaest. 55, art. 2. ad 3.), non intelligitur objectum, sed actus perfectus quem potentia per virtutem disposita potest elicere; et qui dici potest quid optimum, eo quod actus ab habitu procedens sit aliquid melius quam habitus solus.

Vita in substantiis pure immaterialibus est substantia ipsa simplex et spiritualis prout in se intrinsece operatur; hoc est intelligit et vult. — **Vita in animanti** est unio animae cum corpore — **Vita substantialis** est principium quo quis in se immanenter et intrinsece operatur. — **Vita accidental** seu **secunda** est operatio intrinseca animae vel intellectivae substantiae

Vitales actus sunt illi actus viventis, qui sunt immanentes, et ab ipso vivente elicti propria virtute, ut actus intelligendi, volendi, videndi, audiendi. Motus vero locales, sive loci mutationes, cum non sint actus immanentes, non sunt vitales; nec vitalis est motus gravium, et generatim motus quique corporum inanimatorum facti ad acquirendum vel conservandum statum sibi connaturalem, ad quem corpora habent determinationem ab extrinseco. Unde vitales actus dicuntur etiam actus ab intrinseco et in intrinseco: id est, provenire debent ab ipso vivente, et debent esse immanentes. — Vitales actus in ente creato sunt essentialiter creatae virtutis exercitia, ut patet, unde neque Deus illos per se solum praestare posset; v. g. intellectio creata a solo Deo producta, simul esset et non esset exercitium virtutis creatae, quae est contradictio ipsi Deo repugnans.

•

DOCUMENTA

DE PHILOSOPHIA CHRISTIANA
AD MENTEM
SANCTI THOMAE AQUINATIS DOCTORIS ANGELICI
IN SCHOLIS CATHOLICIS INSTAURANDA

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

L E O N I S

DIVINA PROVIDENTIA

P A P A E X I I I

EPISTOLA ENCYCLICA

AD PATRIARCHAS PRIMATES ARCHIEPISCOPOS

ET EPISCOPOS UNIVERSOS CATHOLICI ORBIS GRATIAM ET COMMUNIONEM
CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES.

Venerabilibus Fratribus Patriarchis Primatibus Archiepiscopis et Episcopis Universis Catholici Orbis Gratiam et Communionem cum Apostolica Sede habentibus LEO PP. XIII. Venerabiles Fratres Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Aeterni Patris Unigenitus Filius, qui in terris apparuit, ut humano generi salutem et divinae sapientiae lucem afferret, magnum plane ac mirabile mundo contulit beneficium, cum coelos iterum ascensurus, Apostolis praecepit, ut *euntes docerent omnes gentes* (Matth. XXVIII. 19); Ecclesiamque a se conditam communem et supremam populorum magistram reliquit. Homines enim, quos veritas liberaverat, veritate erant conservandi: neque diu permansissent coelestium doctrinarum fructus, per quos est homini parta salus, nisi Christus Dominus erudiendis ad fidem mentibus perenne magisterium constituisset. Ecclesia vero divini Auctoris sui cum erecta promissis, tum imitata caritatem, sic iussa perfecit, ut hoc semper spectarit, hoc maxime voluerit, de religione praecipere et cum erroribus perpetuo dimicare. Huc sane pertinent singulorum Episcoporum vigilati labores; huc Conciliorum perlatae leges ac decreta, et maxime Romanorum Pontificum sollicitudo quotidiana, penes quos, beati Petri Apostolorum Principis in primatu successores, et ius et officium est docendi et confirmandi fratres in fide. Quoniam vero, Apostolo monente, *per philosophiam et inanem fallaciam* (Coloss. II. 8), Christifidelium mentes decipi solent, et fidei sinceritas in hominibus corrumpi, idcirco supremi Ecclesiae Pastores muneris sui perpetuo esse duxerunt etiam veri nominis scientiam totis viribus provehere, simulque singulari vigilantia providere, ut ad fidei catholicae normam ubique traderentur humanae disciplinae omnes, praesertim vero *philosophia*, a qua nimirum magna ex parte

pendet ceterarum scientiarum recta ratio. Id ipsum et Nos inter cetera breviter monuimus, Venerabiles Fratres, cum primum Vos omnes per Litteras Encyclicas allocuti sumus; sed modo rei gravitate, et temporum conditione compellimur rursus Vobiscum agere de ineunda philosophicorum studiorum ratione, quae et bono fidei apte respondeat, et ipsi humanarum scientiarum dignitati sit consentanea.

Si quis in acerbitem nostrorum temporum animum intendant, earumque rerum rationem, quae publice et privatim geruntur, cogitatione complectatur, is profecto comperiet, fecundam malorum causam, cum eorum quae premunt, tum eorum quae pertimescimus, in eo consistere, quod prava de divinis humanisque rebus scita, e scholis philosophorum iampridem profecta, in omnes civitatis ordines irreperint, communi plurimorum suffragio recepta. Cum enim insitum homini natura sit, ut in agendo rationem ducem sequatur, si quid intelligentia peccat, in id et voluntas facile labitur: atque ita contingit, ut pravitas opinionum, quarum est in intelligentia sedes, in humanas actiones influat, easque pervertat. Ex adverso, si sana mens hominum fuerit, et solidis verisque principiis firmiter insistat, tum vero in publicum privatumque commodum plurima beneficia progignet. — Equidem non tantam humanae philosophiae vim et auctoritatem tribuimus, ut cunctis omnino erroribus propulsandis, vel evellendis parem esse iudicemus: sicut enim, cum primum est religio christiana constituta per admirabile fidei lumen *non persuasibilibus humanae sapientiae verbis diffusum, sed in ostensione spiritus et virtutis* (I. Cor. II. 4), orbi terrarum contigit ut primaevae dignitati restitueretur; ita etiam in praesens ab omnipotenti potissimum virtute et auxilio Dei expectandum est, ut mortalium mentes, sublatis errorum tenebris, resipiscant. Sed neque spernenda, neu posthabenda sunt naturalia adiumenta, quae divinae sapientiae beneficio, fortiter suaviterque omnia disponentis, hominum generi suppetunt; quibus in adiumentis rectum philosophiae usum constat esse praecipuum. Non enim frustra rationis lumen humanae menti Deus inseruit; et tantum abest, ut superaddita fidei lux intelligentiae virtutem extinguat aut imminuat, ut potius perficiat, auctisque viribus, habilem ad maiora reddat. — Igitur postulat ipsius divinae Providentiae ratio, ut in revocandis ad fidem et ad salutem populis etiam ab humana scientia praesidium quaeratur: quam industriam, probabilem ac sapientem, in more positam fuisse praeclarissimorum Ecclesiae Patrum, antiquitatis monumenta testantur. Illi scilicet neque paucas, neque tenues rationi partes dare consueverunt, quas omnes perbrevis complexus est magnus Augustinus, *huic scientiae tribuens... illud quo fides saluberrima... gignitur, nutritur, defenditur, roboratur* (De Trinit. lib. XIV. c. 1).

Ac primo quidem philosophia, si rite a sapientibus usurpetur, iter ad veram fidem quodammodo sternere et munire valet, suorumque alumnorum animos ad revelationem suscipiendam convenienter praeparare: quamobrem a veteribus modo *praevia ad christianam fidem institutio* (Clem. Alexand., Strom. lib. I. c. 16; lib. VII. c. 3), modo *christianismi praeludium et auxilium* (Orig. ad Gregor. Thaum.), *Evangelium paedagogus* (Clem. Alex., Strom. lib. I. c. 5), non immerito appellata est.

Et sane benignissimus Deus, in eo quod pertinet ad res divinas, non eas antum veritates lumine fidei patefecit, quibus attingendis impar humana intelligentia est, sed nonnullas etiam manifestavit, rationi non omnino impervias, ut scilicet, accedente Dei auctoritate, statim et sine aliqua erroris ad-

mixtione omnibus innotescerent. Ex quo factum est, ut quaedam vera, quae vel divinitus ad credendum proponuntur, vel cum doctrina fidei arctis quibusdam vinculis colligantur, ipsi ethnicorum sapientes, naturali tantum ratione praelucente, cognoverint, aptisque argumentis demonstraverint ac vindicaverint. *Invisibilia enim ipsius, ut Apostolus inquit, a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus et divinitas* (Rom. I. 20); et *gentes quae legem non habent...* ostendunt nihilominus *opus legis scriptum in cordibus suis* (Ib. II. 14-15). Haec autem vera, vel ipsis ethnicorum sapientibus explorata, vehementer est opportunum in revelatae doctrinae commodum utilitatemque convertere, ut reipsa ostendatur, humanam quoque sapientiam, atque ipsum adversariorum testimonium fidei christianae suffragari. Quam agendi rationem, non recens introductam, sed veterem esse constat, et sanctis Ecclesiae Patribus saepe usitatam. Quin etiam venerabiles isti religiosarum traditionum testes et custodes formam quamdam eius rei et prope figuram agnoscunt in Hebraeorum facto, qui Aegypto excessuri, deferre secum iussi sunt argentea atque aurea Aegyptiorum vasa cum vestibus pretiosis, ut scilicet, mutato repente usu, religioni veri Numinis ea supellex dedicaretur, quae prius ignominiosis ritibus et superstitioni inservierat. Gregorius Neocaesariensis (Orat. paneg. ad Orig.) laudat Origenem hoc nomine, quod plura ex ethnicorum placitis ingeniose decerpta, quasi erepta hostibus tela, in patrocinium christianae sapientiae et perniciem superstitionis singulari dexteritate retorsit. Et parem disputandi morem cum Gregorius Nazianzenus (Vit. Moys.), tum Gregorius Nyssenus (Carm. I. Iam. 3), in Basilio Magno et laudant et probant; Hieronymus vero magnopere commendat in Quadrato Apostolorum discipulo, in Aristide, in Iustino, in Irenaeo, aliisque permultis (Epist. ad Magn.). Augustinus autem, *Nonne aspiciamus, inquit, quanto auro et argento et veste suffarcinatus exierit de Aegypto Cyprianus, doctor suavissimus et martyr beatissimus? quanto Lactantius? quanto Victorinus, Optatus, Hilarius? ut de vivis taceam, quanto innumerabiles Graeci?* (De doctr. christ. lib. II. c. 40). Quod si vero naturalis ratio opimam hanc doctrinae segetem prius fudit, quam Christi virtute fecundaretur, multo uberiores certe progignet, posteaquam Salvatoris gratia nativas humanae mentis facultates instauravit et auxit. — Ecquis autem non videat, iter planum et facile per huiusmodi philosophandi genus ad fidem aperiri?

Non his tamen limitibus utilitas circumscribitur, quae ex illo philosophandi instituto dimanat. Et revera divinae sapientiae eloquiis graviter reprehenditur eorum hominum stultitia, qui *de his quae videntur bona, non potuerunt intelligere Eum qui est; neque, operibus attendentes, agnoverunt quis esset artifex* (Sap. XIII. 1). Igitur primo loco magnus hic et praeclarus ex umana ratione fructus capitur, quod illa Deum esse demonstret: *a magnitudine enim speciei et creaturae cognoscibiliter poterit Creator horum videri* (Ibid. 5). — Deinde Deum ostendit omnium perfectionum cumulo singulariter excellere, infinita in primis sapientia, quam nulla usquam res latere, et summa iustitia, quam pravus nunquam vincere possit affectus, ideoque Deum non solum veracem esse, sed ipsa etiam veritatem falli et fallere nesciam. Ex quo consequi perspicuum est, ut humana ratio plenissimam verbo Dei fidem atque auctoritatem conciliet. — Simili modo ratio declarat, evangelicam doctrinam mirabilibus quibusdam signis, tamquam certis certae veritatis argumentis, vel ab ipsa origine emicuisse: atque ideo omnes, qui Evangelio fidem adiungunt, non temere adiungere, tamquam doctas fabulas secutos (II. Petr. I. 16), sed rationabili prorsus obse-

quo intelligentiam et iudicium suum divina subiicere auctoritati. Illud autem non minoris pretii esse intelligitur, quod ratio in perspicuo ponat, Ecclesiam a Christo institutam (ut statuit Vaticana Synodus) *ob suam admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus locis fecunditatem, ob catholicam unitatem invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum esse motivum credibilitatis, et divinae suae legationis testimonium irrefragabile* (Const. dogm. de Fide cath. cap. 3).

Solidissimis ita positis fundamentis, perpetuus et multiplex adhuc requiritur philosophiae usus, ut sacra Theologia naturam, habitum, ingeniumque verae scientiae suscipiat atque induat. In hac enim nobilissima disciplinarum magnopere necesse est, ut multae ac diversae coelestium doctrinarum partes in unum veluti corpus colligantur, ut suis quaeque locis convenienter dispositae, et ex propriis principiis derivatae apto inter se nexu cohaereant, demum ut omnes et singulae suis iisque invictis argumentis confirmentur. — Nec silentio praetereunda, aut minime facienda est accuratior illa atque uberior rerum, quae creduntur, cognitio, et ipsorum fidei mysteriorum, quoad fieri potest, aliquanto lucidior intelligentia, quam Augustinus aliique Patres et laudarunt et assequi studuerunt, quamque ipsa Vaticana Synodus (Constit. cit. cap. 4), fructuosissimam esse decrevit. Eam siquidem cognitionem et intelligentiam plenius et facilius certe illi consequuntur, qui cum integritate vitae fideique studio ingenium coniungunt philosophicis disciplinis expolitum, praesertim cum eadem Synodus Vaticana doceat, eiusmodi sacrorum dogmatum intelligentiam *tum ex eorum, quae naturaliter cognoscuntur, analogia; tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo peti oportere* (Ibid.).

Postremo hoc quoque ad disciplinas philosophicas pertinet, veritates divinitus traditas religiose tueri, et iis qui oppugnare audeant resistere. Quam ad rem, magna est philosophiae laus, quod fidei propugnaculum ac veluti firmum religionis munimentum habeatur. *Est quidem, sicut Clemens Alexandrinus testatur, per se perfecta et nullius indiga Servatoris doctrina, cum sit Dei virtus et sapientia. Accedens autem graeca philosophia veritatem non facit potentior; sed cum debiles efficiat sophistarum adversus eam argumentationes, et propulset dolosas adversus veritatem insidias, dicta est vineae apta sepes et vallus* (Strom. lib. I. c. 20). Profecto sicut inimici catholici nominis, adversus religionem pugnaturi, bellicos apparatus plerumque a philosophica ratione mutuuntur, ita divinarum scientiarum defensores plura e philosophiae penu depromunt, quibus revelata dogmata valeant propugnare. Neque mediocriter in eo triumphare fides christiana censenda est, quod adversariorum arma, humanae rationis artibus ad nocendum comparata, humana ipsa ratio potenter expediteque repellat. Quam speciem religiosi certaminis ab ipso gentium Apostolo usurpatam commemorat S. Hieronymus scribens ad Magnum: *Ductor christiani exercitus Paulus et orator invictus, pro Christo causam agens, etiam inscriptionem fortuitam arte torquet in argumentum fidei: didicerat enim a vero David extorquere de manibus hostium gladium, et Goliath superbissimi caput proprio mucrone truncare* (Epist. ad Magn.). Atque ipsa Ecclesia istud a philosophia praesidium christianos doctores petere non tantum suadet, sed etiam iubet. Etenim Concilium Lateranense V. posteaquam constituit, *omnem assertionem veritati illuminatae fidei contrariam omnino falsam esse, eo quod verum vero minime contradicat* (Bulla Apostolici regiminis), philosophiae doctoribus praecipit, ut in dolosis argumentis dissolvendis studiose versentur; siquidem, ut Augustinus testatur, *si ratio contra divinarum Scripturarum auctoritatem redditur,*

quamlibet acuta sit, fallit veri similitudine; nam vera esse non potest (Epist. 143 [al. 7], ad Marcellin. n. 7).

Verum ut pretiosis hisce, quos memoravimus, afferendis fructibus par philosophia inveniat, omnino oportet, ut ab eo tramite nunquam deflectat, quem et veneranda Patrum antiquitas ingressa est, et Vaticana Synodus solemni auctoritatis suffragio comprobavit. Scilicet cum plane compertum sit, plurimas ex ordine supernaturali veritates esse accipiendas, quae cuiuslibet ingenii longe vincunt acumen, ratio humana, propriae infirmitatis conscia, maiora se affectare ne audeat, neque easdem veritates negare, neve propria virtute metiri, neu pro lubitu interpretari; sed eas potius plena atque humili fide suscipiat, et summi honoris loco habeat, quod sibi liceat, in morem ancillae et pedissequae, famulari coelestibus doctrinis, easque aliqua ratione, Dei beneficio, attingere. — In iis autem doctrinarum capitibus, quae percipere humana intelligentia naturaliter potest, aequum plane est, sua methodo, suisque principiis et argumentis uti philosophiam: non ita tamen, ut auctoritati divinae sese audacter subtrahere videatur. Imo, cum constet, ea quae revelatione innotescunt, certa veritate pollere, et quae fidei adversantur pariter cum recta ratione pugnare, noverit philosophus catholicus se fidei simul et rationis iura violaturum, si conclusionem aliquam amplectatur, quam revelatae doctrinae repugnare intellexerit.

Novimus profecto non deesse, qui facultates humanae naturae plus nimio extollentes, contendunt, hominis intelligentiam, ubi semel divinae auctoritati subiiciatur, e nativa dignitate excidere, et quodam quasi servitutis iugo demissam plurimum retardari atque impediri, quominus ad veritatis excellentiaeque fastigium progrediatur. — Sed haec plena erroris et fallaciae sunt; eoque tandem spectant, ut homines, summa cum stultitia, nec sine crimine ingrati animi, sublimiores veritates repudient, et divinum beneficium fidei, ex qua omnium bonorum fontes etiam in civilem societatem fluxere, sponte reiiciant. Etenim cum humana mens certis finibus, iisque satis angustis, conclusa teneatur, pluribus erroribus, et multarum rerum ignorantia est obnoxia. Contra fides christiana, cum Dei auctoritate nitatur, certissima est veritatis magistra; quam qui sequitur, neque errorum laqueis irretitur, neque incertarum opinionum fluctibus agitur. Quapropter qui philosophiae studium cum obsequio fidei christianae coniungunt, ii optime philosophantur: quandoquidem divinarum veritatum splendor, animo exceptus, ipsam iuvat intelligentiam; cui non modo nihil de dignitate detrahit, sed nobilitatis, acuminis, firmitatis plurimum addit. — Cum vero ingenii aciem intendunt in refellendis sententiis, quae fidei repugnant, et in probandis, quae cum fide cohaerent, digne ac perutiliter rationem exercent: in illis enim prioribus, causas erroris deprehendunt, et argumentorum, quibus ipsae fulciuntur, vitium dignoscunt: in his autem posterioribus, rationum momentis potiuntur, quibus solide demonstrantur et cuilibet prudenti persuadeantur. Hac vero industria et exercitatione augeri mentis opes et explicari facultates qui neget, ille veri falsique discrimen nihil conducere ad profectum ingenii, absurde contendat necesse est. Merito igitur Vaticana Synodus praeclara beneficia, quae per fidem rationi praestantur, his verbis commemorat: *Fides rationem ab erroribus liberat ac tuetur, eamque multiplici cognitione instruit* (Constit. dogm. de Fide cath. cap. 4). Atque idcirco homini, si saperet, non culpanda fides; veluti rationi et naturalibus veritatibus inimica, sed dignae potius Deo grates essent habendae, vehementerque laetandum, quod, inter multas ignorantiae causas et

in mediis errorum fluctibus, sibi fides sanctissima illuxerit, quae, quasi sidus amicum, citra omnem errandi formidinem portum veritatis commonstrat.

Quod si, Venerabiles Fratres, ad historiam philosophiae respiciatis, cuncta, quae paullo ante diximus, re ipsa comprobari intelligetis. Et sane philosophorum veterum, qui fidei beneficio caruerunt, etiam qui habebantur sapientissimi, in pluribus deterrime errarunt. Nostis enim, inter nonnulla vera, quam saepe falsa et absona, quam multa incerta et dubia tradiderunt de vera divinitatis ratione, de prima rerum origine, de mundi gubernatione, de divina futurorum cognitione, de malorum causa et principio, de ultimo fine hominis, aeternaque beatitudine, de virtutibus et vitiis, aliisque doctrinis, quarum vera certaue notitia nihil magis est hominum generi necessarium. — Contra vero primi Ecclesiae Patres et Doctores, qui satis intellexerant, ex divinae voluntatis consilio, restitutorem humanae etiam scientiae esse Christum, qui Dei virtus est Deique sapientia (I. Cor. I. 24), et in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi (Coloss. II. 3), veterum sapientum libros investigandos, eorumque sententias cum revelatis doctrinis conferendas suscipere: prudentique delectu quae in illis vere dicta et sapienter cogitata occurrerent, amplexi sunt, ceteris omnibus vel emendatis, vel reiectis. Nam providissimus Deus, sicut ad Ecclesiae defensionem martyres fortissimos, magnae animae prodigos, contra tyrannorum saevitiem excitavit, ita philosophis falsi nominis aut haereticis viros sapientia maximos obiecit, qui revelatarum veritatum thesaurum etiam rationis humanae praesidio tuerentur. Itaque ab ipsis Ecclesiae primordiis, catholica doctrina eos nacta est adversarios multos infensissimos, qui christianorum dogmata et instituta irridentes, ponebant plures esse deos, mundi materiam principio causaque caruisse, rerumque cursum caeca quadam vi et fatali contineri necessitate, non divinae providentiae consilio administrari. Iamvero cum his insanientis doctrinae magistris mature congressi sunt sapientes viri, quos *Apologetas* nominamus, qui, fide praeunte, ab humana quoque sapientia argumenta sumpserunt, quibus constituerent, unum Deum, omni perfectionum genere praestantissimum esse colendum; res omnes e nihilo omnipotentem virtute productas, illius sapientia vigere, singulasque ad proprios fines dirigi ac moveri. — Principem inter illos sibi locum vindicat *S. Iustinus* martyr, qui posteaquam celeberrimas graecorum Academiae, quasi experiendo, lustrasset, plenoque ore nonnisi ex revelatis doctrinis, ut idem ipse fatetur, veritatem hauriri posse pervidisset, illas toto animi ardore complexus, calumniis purgavit, penes Romanorum Imperatores acriter copioseque defendit, et non pauca graecorum philosophorum dicta cum eis composuit. Quod et *Quadratus*, et *Aristides*, *Hermias*, et *Athenagoras* per illud tempus egregie praestiterunt. — Neque minorem in eadem causa gloriam adeptus est *Irenaeus*, martyr invictus, Ecclesiae Lugdunensis Pontifex: qui cum strenue refutaret perversas orientalium opiniones, Gnosticorum opera per fines romani imperii disseminatas, *origines haereseon singularum* (auctore Hieronymo), et ex quibus philosophorum fontibus emanarint..., explicavit (Epist. ad Magn.) — Nemo autem non novit *Clementis Alexandrini* disputationes, quas idem Hieronymus sic, honoris causa, commemorat: *Quid in illis indoctum? imo quid non de media philosophia est?* (Loc. cit.). Multa ipse quidem incredibili varietate disseruit ad condendam philosophiae historiam, ad artem dialecticam rite exercendam, ad concordiam rationis cum fide conciliandam utilissima. — Hunc secutus *Origenes*, scholae Alexandrinae magisterio insignis, graecorum et orientalium doctrinis eruditissimus perplura eademque

laboriosa edidit volumina, divinis litteris explanandis, sacrisque dogmatibus illustrandis mirabiliter opportuna; quae licet erroribus, saltem ut nunc extant, omnino non vacent, magnam tamen complectuntur vim sententiarum, quibus naturales veritates et numero et firmitate augentur. — Pugnat cum haeticis *Tertullianus* auctoritate sacrarum Litterarum; cum philosophis, mutato armorum genere, philosophice; hos autem tam acute et erudite convincit, ut iisdem palam fidenterque obiciat: *Neque de scientia, neque de disciplina, ut putatis, aequamur* (Apologet. § 46). — *Arnobius* etiam, vulgatis adversus Gentiles libris, et *Lactantius* divinis praesertim Institutionibus, pari eloquentia et robore dogmata ac praecepta catholicae sapientiae persuadere hominibus strenue nituntur, non sic philosophiam evertentes, ut Academici solent (Inst. VII. cap. 7), sed partim suis armis, partim vero ex philosophorum inter se concertatione sumptis eos revincentes (De opif. Dei, cap. 21). — Quae autem de anima humana, de divinis attributis, aliisque maximi momenti quaestionibus, magnus *Athanasius* et *Chrysostomus* oratorum princeps, scripta reliquerunt, ita, omnium iudicio, excellunt, ut prope nihil ad illorum subtilitatem et copiam addi posse videatur. — Et ne singulis recensendis nimis sumus, summorum numero virorum quorum est mentio facta, adiungimus *Basilium Magnum* et utrumque *Gregorium*, qui, cum Athenis, ex domicilio totius humanitatis, exiissent philosophiae omnis apparatu affatim instructi, quas sibi quisque doctrinae opes inflammato studio pepererat, eas ad haeticos refutandos, instituendosque christianos converterunt. — Sed omnibus veluti palmam praeripuisse visus est *Augustinus*, qui ingenio praepotens, et sacris profanisque disciplinis ad plenum imbutus, contra omnes suae aetatis errores acerrime dimicavit fide summa, doctrina pari. Quem ille philosophiae locum non attigit; imo vero quem non diligentissime investigavit, sive cum altissima fidei mysteria et fidelibus aperiret, et contra adversariorum vesanos impetus defenderet; sive cum, Academicorum aut Manichaeorum commentis deletis, humanae scientiae fundamenta et firmitudinem in tuto collocavit, aut malorum, quibus premuntur homines, rationem et originem et causas est persecutus? Quanta de Angelis, de anima, de mente humana, de voluntate et libero arbitrio, de religione et de beata vita, de tempore et aeternitate, de ipsa quoque mutabilitate corporum natura subtilissima disputavit? — Post id tempus per Orientem *Ioannes Damascenus*, Basilii et Gregorii Nazianzeni vestigia ingressus, per Occidentem vero *Boëtius* et *Anselmus*, Augustini doctrinas professi, patrimonium philosophiae plurimum locupletarunt.

Exinde mediae aetatis Doctores, quos *Scholasticos* vocant, magnae molis opus aggressi sunt, nimirum segetes doctrinae fecundas et uberes, amplissimis Sanctorum Patrum voluminibus diffusas, diligenter congerere, congestasque uno velut loco condere, in posteriorum usum et commoditatem. — Quae autem scholasticae disciplinae sit origo, indoles et excellentia, iuvat hic, Venerabiles Fratres, verbis sapientissimi viri, Praedecessoris Nostri, Sixti V. fusius aperire: « Divino Illius munere, qui solus dat spiritum scientiae et sapientiae et intellectus, qui quae Ecclesiam suam per saeculorum aetates, prout opus est, novis beneficiis auget, novis praesidiis instruit, inventa est a maioribus nostris sapientissimis viris, Theologia scholastica, quam duo potissimum gloriosi Doctores, angelicus s. Thomas et seraphicus s. Bonaventura, clarissimi huius facultatis professores... excellenti ingenio, assiduo studio, magnis laboribus et vigiliis excoluerunt atque ornavunt, eamque optime dispositam, multisque modis praeclare explicatam posteris

« tradiderunt. Et huius quidem tam salutaris scientiae cognitio et exercitatio, « quae ab uberrimis divinarum Litterarum, summorum Pontificum, sancto- « rum Patrum et Conciliorum fontibus dimanat, semper certe maximum Ec- « clesiae adiumentum afferre potuit, sive ad Scripturas ipsas vere et sane « intelligendas et interpretandas, sive ad Patres securius et utilius perlegendos « et explicandos, sive ad varios errores et haereses detegendas et refellendas : « his vero novissimis diebus, quibus iam advenerunt tempora illa periculosa « ab Apostolo descripta, et homines blasphemi, superbi, seductores proficiunt « in peius, errantes et alios in errorem mittentes, sane catholicae fidei do- « gmatibus confirmandis et haeresibus confutandis pernecessaria est ». (Bulla *Triumphantis*, an. 1588). Quae verba quamvis Theologiam scholasticam dumtaxat complecti videantur, tamen esse quoque de Philosophia eiusque laudibus accipienda perspicitur. Siquidem praeclarae dotes, quae Theologiam scholasticam hostibus veritatis faciunt tantopere formidolosam, nimirum, ut idem Pontifex addit, « apta illa et inter se nexa rerum et causarum cohae- « rentia, ille ordo et dispositio tamquam militum in pugnando instructio, « illa dilucidae definitiones et distinctiones, illa argumentorum firmitas et « acutissimae disputationes, quibus, lux a tenebris, verum a falso distingui- « tur, haereticorum mendacia multis praestigiis et fallaciis involuta, tamquam « veste detracta patefiunt et denudantur » (Bulla citata), praeclare, inquit, et mirabiles istae dotes unice a recto usu repetendae sunt eius philosophiae, quam magistri scholastici, data opera et sapienti consilio, in disputationibus etiam theologicis, passim usurpare consueverunt. — Praeterea cum illud sit scholasticorum Theologorum proprium ac singulare, ut scientiam humanam ac divinam arctissimo inter se vinculo coniunxerint, profecto Theologia, in qua illi excelluerunt, non erat tantum honoris et commendationis ab opinione hominum adeptura, si mancam atque imperfectam aut levem philosophiam adhibuisset.

Iamvero inter Scholasticos Doctores, omnium princeps et magister, longe eminent *Thomas Aquinas*: qui, uti Caietanus animadvertit, veteres doctores sacros quia summe veneratus est, ideo intellectum omnium quodammodo sortitus est (In 2.^m 2.^{ae} q. 148, n. 4 in fin.). Illorum doctrinas, velut dispersa cuiusdam corporis membra, in unum Thomas collegit et coagmentavit, miro ordine digessit, et magnis incrementis ita adauxit, ut catholicae Ecclesiae singulare praesidium et decus iure meritoque habeatur. — Ille quidem ingenio docilis et acer, memoria facilis et tenax, vitae integerrimus, veritatis unice amator, divina humanaque scientia praedives, Soli comparatus, orbem terrarum calore virtutum fovit, et doctrinae splendore complevit. Nulla est philosophiae pars, quam non acute simul et solide pertractarit: de legibus ratiocinandi, de Deo et incorporeis substantiis, de homine aliisque sensibilibus rebus, de humanis actibus eorumque principiis ita disputavit, ut in eo neque copiosa quaestionum seges, neque apta partium dispositio, neque optima procedendi ratio, neque principiorum firmitas aut argumentorum robur, neque dicendi perspicuitas aut proprietas, neque abstrusa quaeque explicandi facilitas desideretur.

Illud etiam accedit, quod philosophicas conclusiones angelicus Doctor speculatus est in rerum rationibus et principiis, quae quamlatissime patent, et infinitarum fere veritatum semina suo velut gremio concludunt, a posterioribus magistris opportuno tempore et uberrimo cum fructu aperienda. Quam philosophandi rationem cum in erroribus refutandis pariter adhibuerit,

illud a se ipse impetravit, ut et superiorum temporum errores omnes unus debellarit, et ad profligandos, qui perpetua vice in posterum exoriturum sunt, arma invictissima suppeditarit. — Praeterea rationem, ut par est, a fide ap-prime distinguens, utramque tamen amice consocians, utriusque tum iura conservavit, tum dignitati consuluit, ita quidem ut ratio ad humanum fastigium Thomae pennis evecta, iam fere nequeat sublimius assurgere; neque fides a ratione fere possit plura aut validiora adiumenta praestolari, quam quae iam est per Thomam consecuta.

Has ob causas, doctissimi homines, superioribus praesertim aetatibus, theologiae et philosophiae laude praestantissimi, conquisitis incredibili studio Thomae voluminibus immortalibus, angelicae sapientiae eius sese non tam excolendos, quam penitus innutriendos tradiderunt. — Omnes prope conditores et legiferos Ordinum religiosorum iussisse constat sodales suos, doctrinis S. Thomae studere et religiosius haerere, cauto, ne cui eorum impune liceat a vestigiis tanti viri vel minimum discedere. Ut Dominicanam familiam praetereamus, quae summo hoc magistro iure quodam suo gloriatur, ea lege teneri Benedictinos, Carmelitas, Augustinianos, Societatem Iesu, aliosque sacros Ordines complures, statuta singulorum testantur.

Atque hoc loco magna cum voluptate provolat animus ad celeberrimas illas, quae olim in Europa floruerunt, Academiis et Scholas, Parisiensem nempe, Salmantinam, Complutensem, Duacenam, Tolosanam, Lovaniensem, Patavinam, Bononiensem, Neapolitanam, Coimbricensem, aliasque permultas. Quarum Academiarum nomen aetate quodammodo crevisse, rogatasque sententias, cum graviora agerentur negotia, plurimum in omnes partes valuisse, nemo ignorat. Iamvero compertum est, in magnis illis humanae sapientiae domiciliis, tamquam in suo regno, Thomam consedissem principem; atque omnium vel doctorum vel auditorum animos miro consensu in unius angelici Doctoris magisterio et auctoritate conquiescisse.

Sed, quod pluris est, Romani Pontifices Praedecessores Nostri sapientiam Thomae Aquinatis singularibus laudum praeconiis, et testimoniis amplissimis prosecuti sunt. Nam Clemens VI. (Bulla *In Ordine*), Nicolaus V. (Breve ad FF. Ord. Praed. 1451), Benedictus XIII (Bulla *Pretiosus*), aliique testantur, admirabili eius doctrina universam Ecclesiam illustrari; S. Pius V. (Bulla *Mirabilis*) vero fatetur eadem doctrina haereses confusas et convictas dissipari orbemque universum a pestiferis quotidie liberari erroribus; alii cum Clemente XII. (Bulla *Verbo Dei*), uberrima bona ab eius scriptis in Ecclesiam universam dimanasse, Ipsumque eodem honore colendum esse affirmant, qui summis Ecclesiae doctoribus, Gregorio, Ambrosio, Augustino et Hieronymo defertur; alii tandem S. Thomam proponere non dubitarunt Academiiis et magnis Lyceis exemplar et magistrum, quem tuto pede sequerentur. Qua in re memoratu dignissima videntur B. Urbani V. verba ad Academiam Tolosanam: *Volumus et tenore praesentium vobis iniungimus, ut B. Thomae doctrinam tamquam veridicam et catholicam sectemini, eandemque studeatis totis viribus ampliare* (Constit. 5.^a dat. die 3 Aug. 1368 ad Cancell. univ. Tolos.). Urbani autem exemplum Innocentius XII. (Litt. in form. Brevis, die 6 Februarii 1694), in Lovaniensi studiorum Universitate, et Benedictus XIV. (Litt. in form. Brevis, die 21 Aug. 1752), in Collegio Dionysiano Granatensium renoverunt. — His vero Pontificum maximorum de Thoma Aquinate iudiciis, veluti cun.ulus, Innocentii VI. testimonium accedat: *Huius (Thomae) doctrina prae ceteris, excepta canonica, habet proprietatem verborum, modum di-*

centorum, veritatem sententiarum, ita ut numquam qui eam tenuerint, inveniantur a veritatis tramite deviasse; et qui eam impugnaverit, semper fuerit de veritate suspectus (Sermo de S. Thoma).

Ipsa quoque Concilia Oecumenica, in quibus eminet lectus ex toto orbe terrarum flos sapientiae, singularem Thomae Aquinati honorem habere perpetuo studuerunt. In Conciliis Lugdunensi, Viennensi, Florentino, Vaticano, deliberationibus et decretis Patrum interfuisse Thomam et pene praefuisse dixeris, adversus errores Graecorum, haereticorum et rationalistarum ineluctabili vi et faustissimo exitu decertantem. — Sed haec maxima est et Thomae propria, nec cum quopiam ex doctoribus catholicis communicata laus, quod Patres Tridentini, in ipso medio conclavi ordini habendo, una cum divinae Scripturae codicibus et Pontificum Maximorum decretis *Summam* Thomae Aquinatis super altari patere voluerunt, unde consilium, rationes, oracula peterentur.

Postremo haec quoque palma viro incomparabili reservata videbatur, ut ab ipsis catholici nominis adversariis obsequia, praeconia, admirationem extorqueret. Nam exploratum est, inter haereticarum factionum duces non defuisse, qui palam profiterentur, sublata semel e medio doctrina Thomae Aquinatis, se facile posse *cum omnibus* catholicis doctoribus *subire certamen et vincere, et Ecclesiam dissipare* (Beza, Bucerus). — Inanis quidem spes, sed testimonium non inane.

His rebus et causis, Venerabiles Fratres, quoties respicimus ad bonitatem, vim preclarasque utilitates eius disciplinae philosophicae, quam maiores nostri adamarunt, iudicamus temere esse commissum, ut eidem suus honos non semper, nec ubique permanserit: praesertim cum philosophiae scholasticae et usum diuturnum et maximorum virorum iudicium, et, quod caput est, Ecclesiae suffragium favisse constaret. Atque in veteris doctrinae locum nova quaedam philosophiae ratio hac illac successit, unde non ii percepti sunt fructus optabiles ac salutare, quos Ecclesia et ipsa civilis societas maluissent. Adnitentibus enim Novatoribus saeculi XVI., placuit philosophari citra quempiam ad fidem respectum, petita dataque vicissim potestate quaelibet pro lubitu ingenioque excogitandi. Qua ex re pronum fuit, genera philosophiae plus aequo multiplicari, sententiasque diversas atque inter se pugnantem oriri etiam de iis rebus, quae sunt in humanis cognitionibus praecipuae. A multitudine sententiarum ad haesitationes dubitationesque persaepe ventum est: a dubitationibus vero in errorem quam facile mentes hominum delabantur, nemo est qui non videat. — Hoc autem novitatis studium, cum homines imitatione trahantur, catholicorum quoque philosophorum animos visum est alicubi pervasisse; qui patrimonio antiquae sapientiae posthabito, nova moliri, quam vetera novis augere et perficere maluerunt, certe minus sapienti consilio, et non sine scientiarum detrimento. Etenim multiplex haec ratio doctrinae, cum in magistrorum singulorum auctoritate arbitrioque nitatur, mutabile habet fundamentum, eaque de causa non firmam atque stabilem neque robustam, sicut veterem illam, sed nutantem et levem facit philosophiam. Cui si forte contingat, hostium impetu ferendo vix parem aliquando inveniri, eius rei agnoscat in seipsa residere causam et culpam. — Quae cum dicimus, non eos profecto improbanus doctos homines atque solertes, qui industriam et eruditionem suam, ac novorum inventorum opes ad excolendam philosophiam afferunt: id enim probe intelligimus ad incrementa doctrinae pertinere. Sed magnopere cavendum est, ne in illa industria atque

eruditione tota aut praecipua exercitatio versetur. — Et simili modo de sacra Theologia iudicetur; quam multiplici eruditionis adiumento iuvari atque illustrari quidem placet, sed omnino necesse est, gravi Scholasticorum more tractari, ut, revelationis et rationis coniunctis in illa viribus, *invictum fidei propugnaculum* (Sixtus V., Bulla cit.) esse perseveret.

Optimo itaque consilio cultores disciplinarum philosophicarum non pauci, cum ad instaurandam utiliter philosophiam novissime animum adiecerint, praeclaram Thomae Aquinatis doctrinam restituere, atque in pristinum decus vindicare studuerunt et student. Pari voluntate plures ex ordine Vestro, Venerabiles Fratres, eandem alacriter viam esse ingressos, magna cum animi Nostri laetitia cognovimus. Quos cum laudamus vehementer, tum hortamur, ut in suscepto consilio permaneant: reliquos vero omnes ex Vobis singulatim monemus, nihil Nobis esse antiquius et optabilius, quam ut sapientiae rivos purissimos, ex Angelico Doctore iugi et praedivite vena dimanantes, studiosae iuventuti large copioseque universi praebentis.

Quae autem faciunt, ut magno id studio velimus, plura sunt. — Principio quidem, cum in hac tempestate nostra, machinationibus et astu fallacis cuiusdam sapientiae, christiana fides oppugnari soleat, cuncti adolescentes, sed ii nominatim qui in Ecclesiae spem succrescunt, pollenti ac robusto doctrinae pabulo ob eam causam enutriendi sunt, ut viribus validi, et copioso armorum apparatu instructi, mature assuescant causam religionis fortiter et sapienter agere, *parati semper*, secundum Apostolica monita, *ad satisfactionem omnipotentis rationem de ea, quae in nobis est, spe* (I. Petri III. 15), et *exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt, arguere* (Tit. I. 9). — Deinde plurimi ex iis hominibus qui, abalienato a fide animo, instituta catholica oderunt, solam sibi esse magistram ac ducem rationem profitentur. Ad hos autem sanandos, et in gratiam cum fide catholica restituendos, praeter supernaturale Dei auxilium, nihil esse opportunius arbitramur, quam solidam Patrum et Scholasticorum doctrinam, qui firmissima fidei fundamenta, divinam illius originem, certam veritatem, argumenta quibus suadetur, beneficia in humanum genus collata, perfectamque cum ratione concordiam tanta evidentia et vi commonstrant, quanta flectendis mentibus vel maxime invitis et repugnantibus abunde sufficiat.

Domestica vero, atque civilis ipsa societas, quae ob perversarum opinionum pestem quanto in discrimine versetur, universi perspicimus, profecto pacatior multo et securior consisteret, si in Academiis et Scholis sanior traderetur, et magisterio Ecclesiae conformior doctrina, qualem Thomae Aquinatis volumina complectuntur. Quae enim de germana ratione libertatis, hoc tempore in licentiam abeuntis, de divina cuiuslibet auctoritatis origine, de legibus earumque vi, de paterno et aequo summorum Principum imperio, de obtemperacione sublimioribus potestatibus, de mutua inter omnes caritate; quae scilicet de his rebus et aliis generis eiusdem a Thoma disputantur, maximum atque invictum robur habent ad evertenda ea iuris novi principia, quae pacato rerum ordini et publicae saluti periculosa esse dignoscuntur. — Demum cunctae humanae disciplinae spem incrementi praecipere, plurimumque sibi debent praesidium polliceri ab hac, quae Nobis est proposita, disciplinarum philosophicarum instauracione. Etenim a philosophia, tamquam a moderatrice sapientia, sanam rationem rectumque modum bonae artes mutuari, ab eaque, tamquam vitae communi fonte, spiritum haurire consueverunt. Facto et constanti experientia comprobatur, artes liberales tunc maxime

floruisse, cum incolumis honor et sapiens iudicium philosophiae stetit; neglectas vero et prope oblitteratas iacuisse, inclinata atque erroribus vel ineptiis implicita philosophia. — Quapropter etiam physicae disciplinae, quae nunc tanto sunt in pretio, et tot praeclare inventis, singularem ubique cient admirationem sui, ex restituta veterum philosophia non modo nihil detrimenti, sed plurimum praesidii sunt habiturae. Illarum enim fructuosae exercitationi et incremento non sola satis est consideratio factorum, contemplatioque naturae; sed, cum facta constiterint, altius assurgendum est, et danda solerter opera naturis rerum corporearum agnoscendis, investigandisque legibus, quibus parent, et principiis, unde ordo illarum, et unitas in varietate, et mutua affinitas in diversitate proficiscuntur. Quibus investigationibus mirum quantam philosophia scholastica vim et lucem, et openi, est allatura, si sapienti ratione tradatur.

Qua in re et illud monere iuvat, nonnisi per summam iniuriam eidem philosophiae vitio verti, quod naturalium scientiarum profectui et incremento adversetur. Cum enim Scholastici, sanctorum Patrum sententiam secuti, in Anthropologia passim tradiderint, humanam intelligentiam nonnisi ex rebus sensibilibus ad noscendas res corpore materiaque carentes evehi, sponte sua intellexerunt, nihil esse philosopho utilius, quam naturae arcana diligenter investigare, et in rerum physicarum studio diu multumque versari. Quod et facto suo confirmarunt: nam S. Thomas, B. Albertus Magnus, aliique Scholasticorum principes, non ita se contemplationi philosophiae dederunt, ut non etiam multum operae in naturalium rerum cognitione collocarint: imo non pauca sunt in hoc genere dicta eorum et scita, quae recentes magistri probent, et cum veritate congruere fateantur. Praeterea, hac ipsa aetate, plures ique insignes scientiarum physicarum doctores palam aperteque testantur, inter certas ratasque recentioris Physicae conclusiones, et philosophica Scholae principia nullam veri nominis pugnam existere.

Nos igitur, dum edicimus, libenti gratoque animo excipiendum esse quidquid sapienter dictum, quicquid utiliter fuerit a quopiam inventum atque excogitatum; Vos omnes, Venerabiles Fratres, quam enixe hortamur, ut ad catholicae Fidei tutelam et decus, ad societatis bonum, ad scientiarum omnium incrementum auream sancti Thomae sapientiam restituatis, et quam latissime propagetis. Sapientiam sancti Thomae dicimus: si quid enim est a doctoribus Scholasticis vel nimia subtilitate quesitum, vel parum considerate traditum, si quid cum exploratis posterioris aevi doctrinis minus cohaerens, vel denique quoquo modo non probabile, id nullo pacto in animo est aetati nostrae ad imitandum proponi. — Ceterum, doctrinam Thomae Aquinatis studeant magistri, a Vobis intelligenter lecti, in discipulorum animos insinuare; eiusque prae ceteris soliditatem atque excellentiam in perspicuo ponant. Eamdem Academiae a Vobis institutae aut instituendae illustrent ac tueantur, et ad grassantium errorum refutationem adhibeant. — Ne autem supposita pro vera, neu corrupta pro sincera bibatur, providete ut sapientia Thomae ex ipsis eius fontibus hauriatur, aut saltem ex iis rivis, quos ab ipso fonte deductos, adhuc integros et illimes decurrere certa et concors doctorum hominum sententia est: sed ab iis, qui exinde fluxisse dicuntur, re autem alienis et non salubribus aquis creverunt, adolescentium animos arcendos curate.

Probe autem novimus conatus Nostros irritos futuros, nisi communia cepta, Venerabiles Fratres, Ille secundet, qui *Deus scientiarum* in divinis eloquiis

(I. Reg. II. 3), appellatur; quibus etiam monemur, *omne datum optimum et omne donum perfectum desursum esse, descendens a Patre luminum* (Iac. I. 17). Et rursus: *Si quis indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat; et dabitur ei* (Ibid. 5). — Igitur hac quoque in re exempla sequamur Doctoris Angelici, qui numquam se lectioni aut scriptioni dedit, nisi propitiato precibus Deo; quique candide confessus est, quidquid sciret, non tam se studio aut labore suo sibi peperisse, quam divinitus accepisse: ideoque humili et concordi obsecratione Deum simul omnes exoremus, ut in Ecclesiae filios spiritum scientiae et intellectus emittat, et aperiat eis sensum ad intelligendam sapientiam. Atque ad uberiores percipiendos divinae bonitatis fructus, etiam B. Virginis Mariae, quae sedes sapientiae appellatur, efficacissimum patrociniū apud Deum interponite; simulque deprecatores adhibete purissimum Virginis Sponsū B. Iosephum, et Petrum ac Paulum Apostolos maximos, qui orbem terrarum, impura errorum lue corruptum, veritate renovarunt, et caelestis sapientiae lumine compleverunt.

Denique divini auxilii spe freti, et pastorali Vestro studio confisi, Apostolicam Benedictionem, coelestium munerum auspiciem et singularis Nostrae benevolentiae testem, Vobis omnibus, Venerabiles Fratres, universoque Clero et Populo singulis commisso peramanter in Domino impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum, die 4 Augusti anni 1879, Pontificatus Nostri anno secundo.

LEO PP. XIII.

DE ACADEMIA
SANCTI THOMAE AQUINATIS
ROMAE INSTITUENDA

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI
LEONIS
DIVINA PROVIDENTIA
PAPAE XIII
LITTERAE

AD EMINENTISSIMUM AC REVERENDISSIMUM DOMINUM
ANTONINUM EPISCOPUM PRAENESTINUM S. R. E. CARD. DE LUCA
SACRO CONSILIO STUDIIS REGUNDIS PRAEFECTUM.

*Venerabili Fratri Nostro ANTONINO Episcopo Praenestino S. R. E. Cardinali
DE LUCA Sacro Consilio Studiis Regundis Praefecto LEO PP. XIII. Venerabilis Frater Noster Salutem et Apostolicam Benedictionem.*

Iam pridem considerando experiendoque intelleximus, teterrimum quod adversus Ecclesiam ipsamque humanam societatem modo geritur bellum, citius feliciusque, opitulante Deo, componi non posse, quam rectis sciendi agendique principiis per philosophicas disciplinas ubilibet restitutis; ideoque ad summam totius causae pertinere, sanam solidamque ubique locorum reflorescere philosophiam. Litteras idcirco Encyclicas ad universos catholici orbis Antistites nuper dedimus, quibus pluribus ostendimus, huius generis utilitatem non esse alibi quaerendam, quam in philosophia christiana a priscis Ecclesiae Patribus procreata et educta, quae Fidei catholicae non modo maxime convenit, sed etiam defensionis et luminis utilia adiumenta praebet. Eam ipsam, decursu aetatum, magnis fecundam fructibus, a S. Thoma Aquinate, summo Scholasticorum Magistro, quasi hereditario iure acceptam commemoravimus; in eaque ordinanda, illustranda et augenda mentis illius vim virtutemque sic enituisse, ut cognominis sui mensuram Angelicus Doctor cumulate implere videatur. Maiorem autem in modum Episcopos hortati sumus ut, collatis Nobiscum viribus, excitare aggrediantur motam gradu et prope collapsam philosophiam illam veterem, Scholisque catholicis redonantam, in sede honoris pristini collocare.

Nec mediocrem animi laetitiam ex eo percepimus, quod Litterae illae Nostrae, divina ope favente, primum ubique obsequium et singularem animorum assensum nactae sunt. Cuius rei testimonium Nobis luculentum im-

pertinent plures Episcoporum ad Nos ex Italia praesertim, ex Gallia, Hispania, Hibernia, perlatae epistolae, sive singulares, sive plurium eiusdem provinciae vel gentis communes, egregia animi sensa praeferentes. Nec doctorum hominum suffragium defuit, ultro et reverenter datum, cum insignes eruditorum Academiae eundem plane ac Sacrorum Antistites, animum Nobis scripto declaraverint. — In his autem litteris placet maxime obsequium auctoritati Nostrae et huic Apostolicae Sedi praestitum; placent mens et iudicia ab auctoribus prolata. Una est enim omnium vox, una sententia, notari et tuto designari Litteris illis Nostris, quo tandem loco sit praesentium malorum radix, et unde petenda remedia. Omnes consentiunt humanam rationem, si a divina fidei auctoritate discesserit, dubitationum fluctibus et praesentissimis errorum periculis esse propositam; haec autem pericula facile evasuram, si ad catholicam philosophiam homines perfugerint.

Quamobrem, Venerabilis Frater Noster, illud Nobis est magnopere in optatis, ut S. Thomae doctrinae, fidei veritati apprime conformis, cum in omnibus catholicis Athenaeis quamprimum reviviscat, tum maxime in hac Urbe principe catholici nominis; quae ob eam causam, quod est sedes Pontificis Maximi, debet optimarum doctrinarum laude ceteris antecellere. — Huc accedit quod Romam, catholicae unitatis centrum, soleant adolescentes ex omni terrarum loco frequentes celebrare, nullibi, quam penes augustam B. Petri cathedram, germanam incorruptamque sapientiam satius hausturi. Itaque si philosophiae christianae, quam diximus, largiter hinc copia defluerit, non unius Urbis finibus conclusa tenebitur, sed ad omnes populos, velut abundantissimus annis, manabit.

Sic igitur primo loco curavimus, ut in Seminario Romano, in Lyceo Gregoriano, in Urbaniano aliisque Collegiis, Nostrae adhuc auctoritati obnoxiiis, philosophicae disciplinae secundum mentem et principia Doctoris Angelici, enucleate dilucide copiose tradantur atque excolantur. Et maxime in hoc omnem vigilare curam et contentationem doctorum volumus, ut quas ipsi doctrinae opes ex voluminibus sancti Thomae diligenter collegerint, easdem explicando, dilatando, suaviter et fructuose auditoribus impertiant.

Sed praeterea quo magis haec studia vigeant et floreat, curandum est, ut amatores philosophiae Scolasticae in eius gratiam sedulo, quod possunt, enitentur; maxime autem in societates coeant, coetusque identidem habeant, in quibus studiorum suorum fructus singuli in medium adducant, et in communem afferant utilitatem.

Haec autem iudicia mentemque Nostram Tecum communicare volumus, Venerabilis Frater Noster, qui sacro Consilio praees studiis disciplinarum regendis, certa spe freti, nec industriam, nec prudentiam Tuam hac in re Nobis defuturam. — Te profecto non latet doctorum hominum coetus sive Academias, nobilissimas veluti palaestras fuisse, in quibus viri ingenio peracri et doctrina praestantes cum se ipsi utiliter exerceant de maximis scribentes ac disputantes, tum adolescentes erudirent, magno cum scientiarum incremento. Ex hoc optimo more institutoque iungendi vires et intelligentiae lumina conferendi, extiterunt illustria Doctorum collegia, alia pluribus simul disciplinis addicta, alia singularibus. Vivax fama et gloria eorum permansit, quae, Romanis Pontificibus non uno nomine faventibus, ubique floruerunt, ut in hac Italia nostra, Bononiae, Patavii, Salerni, et alibi alia. — Cum igitur tanta fuerit laus et utilitas in voluntariis hisce hominum coetibus ad excellendas perpoliendasque disciplinas coeuntium, cumque eius utilitatis et laudis

plurimum adhuc supersit, certum Nobis est eodem uti praesidio, quo consilia Nostra plenius perficiamus. — Scilicet auctores sumus, ut coetus Academicus in urbe Roma instituat, qui S. Thomae Aquinatis nomine et patronatu insignis, eo studia industriamque convertat, ut eius opera explanet, illustret; placita exponat et cum aliorum philosophorum sive veterum sive recentium placitis conferat; vim sententiarum earumque rationes demonstret; salutarem doctrinam propagare, et ad grassantium errorum refutationem recensque inventorum illustrationem adhibere contendat. — Idcirco Tibi, Venerabilis Frater Noster, cuius perspecta habemus ornamenta doctrinae, celeritatem ingenii, studiumque rerum omnium quae ad humanitatem pertinent, id negotii damus, ut propositum Nostrum exequaris. Interim rem altius consideres; cumque rationem excogitaveris quae consiliis Nostris opportune respondeat, litteris expressam Nobis inspiciendam subiicies, ut probemus et auctoritate Nostra muniamus.

Demum quo latius spargatur ac disseminetur Angelici Doctoris sapientia, constituimus omnia eius opera de integro in lucem edere, exemplo S. Pii V. Decessoris Nostri, rerum gestarum gloria et vitae sanctitate praeclari; cui quidem in ea re tam felix contigit exitus, ut Thomae exemplaria, iussu illius evulgata, permagni sint apud viros doctos, summoque studio requirantur. Verum quanto plus editio illa est rara, tanto magis alia desiderari coepta, quae nobilitate ac praestantia cum Piana comparari possit. Ceterae enim cum veteres tum recentiores, partim quod non omnia S. Thomae scripta exhibeant, partim quod optimorum eius interpretum atque explanatorum careant commentariis, partim quod minus diligenter adornatae sint, non omne tulisse punctum videntur. Certa autem spes est, huiusmodi necessitati consultum iri per novam editionem quae cuncta omnino sancti Doctoris scripta complectatur, omnino quoad fieri poterit, formis litterarum expressa, accurateque emendata; iis etiam adhibitis codicum manu scriptorum subsidiis, quae aetate hac nostra in lucem et usum prolata sunt. Coniunctim vero edendas curabimus clarissimorum eius interpretum, ut Thomae de Vio Cardinalis Caietani et Ferrariensis, lucubrationes, per quas, tamquam per uberes rivulos, tanti viri doctrina decurrit. — Obversantur quidem animo rei gerendae cum magnitudo, tum difficultas; nec tamen deterrent quominus ad eam magna cum alacritate quamprimum aggrediamur. Confidimus enim in re tam gravi, quae ad commune Ecclesiae bonum magnopere pertinet, adfore Nobis divinam opem et concursus Episcoporum studium, et prudentiam atque industriam Tuam, spectatam iam et diu cognitam.

Interim praecipuae dilectionis testem, Apostolicam Benedictionem Tibi, Venerabilis Frater Noster, ex intimo cordis affectu impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die 15 octobris an. 1879, Pontificatus Nostri anno secundo.

LEO PP. XIII.

DE SANCTO THOMA AQUINATE
PATRONO COELESTI STUDIORUM OPTIMORUM
COOPTANDO

LEO PP. XIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Cum hoc sit et natura insitum et ab Ecclesia catholica comprobatum, ut a viris sanctitate praeclaris patrocinium, ab excellentibus autem perfectisque in aliquo genere exempla ad imitandum homines exquirant; idcirco Ordines religiosi non pauci, Lycea, coetus litteratorum, Apostolica Sede approbante, iamdiu magistrum ac patronum sibi sanctum Thomam Aquinatem esse voluerunt, qui doctrina et virtute, solis instar, semper eluxit. Nostris vero temporibus, aucto passim studio doctrinarum eius, plurimi extiterunt, qui peterent, ut cunctis ille Lyceis, Academiis, et scholis gentium catholicarum, huius Apostolicae Sedis auctoritate, patronus assignaretur. Hoc quidem optare se plures Episcopi significarunt, datis in id litteris cum singularibus tum communibus: hoc pariter studuerunt multarum Academiarum sodales et collegia doctorum supplice atque humili obsecratione deposcere. — Quorum omnium incensas desiderio preces cum differre visum esset, ut productione temporis auferentur, idonea ad rem opportunitas accessit ab Encyclicis Litteris Nostris *De philosophia christiana ad mentem s. Thomae Aquinatis Doctoris Angelici in scholis catholicis instauranda*, quas superiore anno hoc ipso die publicavimus. Etenim Episcopi, Academiae, doctores decuriales Lyceorum, atque ex omni terrarum regione cultores artium optimarum se Nobis dicto audientes et esse et futuros una pene voce et consentientibus animis testati sunt: imo velle se in tradendis philosophicis ac theologicis disciplinis sancti Thomae vestigiis penitus insistere; sibi enim non secus ac Nobis, exploratum esse affirmant, in doctrinis Thomisticis eximiam quandam inesse praestantiam, et ad sananda mala, quibus nostra premitur aetas, vim virtutemque singularem. Nos igitur, qui diu multumque cupimus, florere scholas disciplinarum universas tam excellenti magistro in fidem et clientelam commendatas, quoniam tam clara et testata sunt communia omnium desideria, maturitatem advenisse censemus discernendi, ut Thomae Aquinatis immortale decus novae huius accessione laudis cumuletur.

Hoc est autem caussarum, quibus permovemur, caput et summa: eminere inter omnes sanctum Thomam, quem in variis scientiarum studiis, tamquam exemplar, catholici homines intueantur. Et sane praeclara lumina animi et ingenii, quibus ad imitationem sui iure vocet alios, in eo sunt omnia: doctrina uberrima, incorrupta, apte disposita; obsequium fidei et cum veritatibus divinitus traditis mira consensio; integritas vitae cum splendore virtutum maximarum.

Doctrina quidem est tanta, ut sapientiam a veteribus defluentem, maris instar, omnem comprehendat. Quidquid est vere dictum aut prudenter disputatum a philosophis ethnicorum, ab Ecclesiae Patribus et Doctoribus, a summis viris qui ante ipsum floruerunt, non modo ille penitus dignovit, sed auxit, perfecit, digessit tam luculenta perspicuitate formarum, tam accurata disserendi ratione, et tanta proprietate sermonis, ut facultatem imitandi posteris reliquisse, superandi potestatem ademisse videatur. Atque illud est permagnum, quod eius doctrina, cum instructa sit atque apparata principiis latissime patentibus, non ad unius dumtaxat, sed ad omnium temporum necessitates est apta, et ad pervincendos errores perpetua vice renascentes maxime accommodata. Eadem vero, sua se vi et ratione confirmans, invicta consistit, atque adversarios terret vehementer.

Neque minoris aestimanda, christianorum praesertim hominum iudicio, rationis et fidei perfecta convenientia. Evidenter enim sanctus Doctor demonstrat, quae ex rerum genere naturalium vera sunt, ab iis dissidere non posse, quae Deo auctore, creduntur; quamobrem sequi et colere fidem christianam, non esse humilem et minime generosam rationis servitutem, sed nobile obsequium, quo mens ipsa iuvatur et ad sublimiora eruditur; denique intelligentiam et fidem a Deo ambas proficisci, non simultatum secum exercendarum causa, sed ut sese amicitiae vinculo colligatae mutuis officiis tueantur. — Cuius convenientiae mirabilisque concordiae cunctis beati Thomae scriptis expressa imago perspicitur. In iis enim excellit atque eminent modo intelligentia, quae quod vult, fide praeunte, consequitur in pervestigatione naturae; modo fides, quae rationis ope illustratur ac defenditur, sic tamen, ut suam quaeque inviolate teneat et vim et dignitatem; atque, ubi res postulat, ambae quasi foedere icto ad utriusque inimicos debellandos coniunguntur. Ac si magnopere semper interfuit, firmam rationis et fidei manere concordiam, multo magis post saeculum XVI. interesse existimandum est; quoniam per id tempus spargi semina coeperunt finem et modum transeuntis libertatis, quae facit ut humana ratio divinam auctoritatem aperte repudiet, armisque a philosophia quaesitis religiosas veritates pervellat atque oppugnet.

Postremo Angelicus Doctor non est magis doctrina, quam virtute et sanctitate magnus. Est autem virtus ad periclitandas ingenii vires adipiscendamque doctrinam praeparatio optima; quam qui negligunt, solidam fructuosamque sapientiam falso se consecuturos putant, propterea quod *in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdilo peccatis*.^{*} Ista vero comparatio animi, quae ab indole virtutis proficiscitur, in Thoma Aquinate extitit non modo excellens atque praestans, sed plane digna, quae aspectabili signo divinitus consignaretur. Etenim cum maximam voluptatis illecebram victor evasisset, hoc veluti praemium fortitudinis tulit a Deo pud-

* Sap. I. 4.

cissimus adolescens, ut lumbos sibi arcanum in modum constringi, atque una libidinis faces exstingui sentiret. Quo facto, perinde vixit, ac esset ab omni corporis contagione seiunctus, cum ipsis angelicis spiritibus non minus innocentia, quam ingenio comparandus.

His de causis dignum prorsus Angelicum Doctorem iudicamus, qui praestes tutelaris studiorum cooptetur. Quod cum libenter facimus, tum illa Nos consideratio movet, futurum ut patrocinium hominis maximi et sanctissimi multum valeat ad philosophicas theologicasque disciplinas, summa cum utilitate reipublicae, instaurandas. Nam, ubi se scholae catholicae in disciplinam et clientelam Doctoris Angelici tradiderint, facile florebit sapientia veri nominis, firmis hausta principiis, ratione atque ordine explicata. Ex probitate doctrinarum probitas gignetur vitae cum privatae tum publicae: probe vivendi consuetudinem salus populorum, ordo, pacata rerum tranquillitas consequentur. — Qui in scientia rerum sacrarum elaborant, tam acriter hoc tempore lacessita, ex voluminibus sancti Thomae habituri sunt, quo fundamenta fidei christianae ample demonstrant, quo veritates supernaturales persuadeant, quo nefarios hostium impetus a religione sanctissima propulsent. Eaque ex re humanae disciplinae omnes non impediri aut tardari cursus suos, sed incitari augerique sentient; ratio vero in gratiam cum fide, sublatis dissidiorum causis, redibit, eamque in indagatione veri sequetur ducem. Demum quotquot sunt homines discendi cupidi, tanti magistri exemplis praeceptisque conformati, comparare sese integritate morum assuescent; nec eam rerum scientiam consecrabitur, quae a caritate seiuncta inflat animos et de via deflectit, sed eam quae sicut a *Patre luminum et scientiarum Domino* exordia capit, sic ad eum recta perducit.

Placuit autem hac super re sacri etiam Consilii legitimis ritibus cognoscendis perrogare sententiam; quam cum perspexerimus, dissentiente nemine, votis Nostris plane congruere, Nos ad gloriam omnipotentis Dei et honorem Doctoris Angelici, ad incrementa scientiarum et communem societatis humanae utilitatem, sanctum Thomam Doctorem Angelicum suprema auctoritate Nostra Patronum declaramus Universitatum studiorum, Academicarum, Lyceorum, scholarum catholicarum, atque uti talem ab omnibus haberi, coli, atque observari volumus, ita tamen ut sanctis coelitibus, quos iam Academiae aut Lycea sibi forte patronos singulares delegerint, suus honos suusque gradus etiam in posterum permanere intelligatur.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die IV. Augusti MDCCCLXXX. Pontificatus Nostri anno tertio.

THEODULPHUS CARD. MERTEL.

BREVE
SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI
LEONIS PAPAЕ XIII

DATUM

REV.^{MO} ET CLARISSIMO DOCTORI

FRANCISCO CAN.^O SATOLLI

PRAELATO DOMESTICO S. S.

ET S. THEOLOGIAE DOGMATICAE IN PONTIFICIO COLLEGIO DE PROPAGANDA FIDE

PROFESSORI EXIMIO

DE STUDIO SUMMAE THEOLOGICAE

LEO PAPA XIII.

Dilecte Fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Qui te, dilecte Fili, addictissimum jam noveramus doctrinae S. Thomae, quum adhuc Perusinam Ecclesiam regeremus, eaque de causa in almam hanc Urbem jussimus accedere, ubi a pluribus annis S. Theologiae tradendae operam navas, lubente gratoque animo accepimus a te praelectiones Theologicas, quas in discipulorum tuorum commodum hactenus edidisti. In iis autem vehementer consilium tuum laudamus, quod commentaria exhibes in ipsam S. Thomae Aquinatis Summam, ea mente ut auditores tui textum Angelici Doctoris e suis manibus excidere non patiantur. Sic enim et non aliter fiet ut genuina S. Thomae doctrina in scholis floreat, quod Nobis maxime cordi est. Illa enim docendi ratio quae in magistrorum singulorum auctoritate arbitrioque nititur, mutabile habet fundamentum, ex quo saepe sententiae diversae atque inter se pugnantes oriuntur, quae quum S. Doctoris mentem referre nequeunt, tum dissensiones fovent et concertationes, quae diutius jam catholicas scholas non sine magno scientiae christianae detrimento agitarunt. Optandum autem est ut praeceptores S. Theologiae, Tridentinos Patres imitati, Summam S. Thomae super cathedris suis patere velint, unde consilium, rationes et theologicas conclusiones petant. Ab his enim palaestris merito Ecclesia expectare poterit fortissimos milites ad proficiendos errores, ad rem catholicam defendendam. Quod ut tibi Deus copiose concedat, auspicem divinae gratiae apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XIX. Iunii, an. MDCCCLXXXVI.
Pontificatus Nostri nono.

EPISTOLA VIRI EMINENTISSIMI
JOSEPHI CARDINALIS PECCI

SACRO CONSILIO STUDIIS REGUNDIS PRAEFECTI

ad *Professorem* BENEDICTUM LORENZELLI
de editione.

Chiarissimo signor Professore,

L'edizione della *Somma Teologica* di S. Tommaso pubblicata dalla tipografia Forzani e C.^o ha incontrato il gradimento del S. Padre, come quella che, fatta sotto l'assistenza di Vostra Signoria, è riuscita molto commendevole per la non comune correttezza del testo, per la nitidezza de' caratteri, per la bontà della carta, per la comodità del formato, per la migliore disposizione degl'indici, ai quali viene opportunamente aggiunto un Lessico peripatetico-scolastico, e per la singolare tenuità del prezzo.

Ben fondata è quindi la speranza che siffatta edizione venga accolta con larghissimo favore, e che in tal guisa essa diventi un mezzo di facile diffusione delle dottrine di S. Tommaso, la cui schietta e profonda conoscenza per parte della gioventù studiosa è oggetto di costanti desideri e di cure continue dello stesso Sommo Pontefice LEONE XIII.

Mi è grato pertanto, affidare a Lei, egregio signor Professore, l'incarico di consegnare a chi ha avuto il bel pensiero di questa edizione, per tanti titoli assai pregevole, la Medaglia d'oro che qui unisco e che il S. Padre si è benignamente degnato di conferire come segno della Sovrana Sua soddisfazione pel merito intrinseco dell'edizione stessa.

Con sensi di particolare stima mi dico

Roma, 23 aprile 1887.

Suo devotissimo
GIUSEPPE Card. PECCI.

All'Ill.mo e Rev.mo Monsignore
Dot. **Benedetto Lorenzelli**,
Professore di Filosofia al Collegio di Propaganda Fide e Rettore del Collegio Boemo
in Roma.

(VERSIO).

Professor clarissime,

Editio *Summae Theologicae* S. Thomae, emissa nuper ex officina Forzanii et socii probata est Beatissimo Patri, quippe quae, te dirigente, commendata admodum extitit ob emendationem haud mediocrem, litterarum nitorem, chartae densitatem, commodam librorum formam, ob ordinem indicum meliorem, quibus opportune adiectum est Lexicon quoddam peripateticum et scholasticum, ob pretii quoque tenuitatem. Ex quo sperare merito licet fore ut huiusmodi editio gratiam habeat amplissimam, eademque optimum adiuventum praestitura sit ad proferendas latius doctrinas eiusdem S. Thomae; quas ut studiosa iuventus pure penitusque addiscat est summopere in votis et curis LEONIS XIII P. M.

Mihi igitur gaudeo, Professor egregie, hoc tibi committere ut ei qui editionem istam tot de causis probabilem excogitavit fovitque nomisma aureum heic inclusum tradas, quod Beatissimus Pater perbenigne donavit ad testandum quam gratam habuerit talis editionis praestantiam.

Cum sensibus peculiaris aestimationis sum

Romae, IX cal. mai. MDCCCLXXXVII.

Tibi dev.mus
JOSEPHUS Cardinalis PECCI.

Ill.mo et R.mo Domino
Doctori **Benedicto Lorenzelli**,
Philosophiae Professore in Collegio de Propaganda Fide et Rectori Collegii Bohemorum
in Urbe.

Imprimatur.

Fr. RAPHAËL PIEROTTI O. P.

S. P. A. Magister.



